


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Home 29

Hunc ego, seu port[illegible] inferni carceris [illegible]
Cui clau[illegible] animus aliud quam nocte [illegible]

2568

No 3082.



M. Furcker fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= LN 1582
ex. 2

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

8°

ORATIO

De illuſtriſs. principe ac domino, D. Christiano Tertio, Rege Daniæ, & Noruegiæ, &c. Qui obijt Calendis Ianuarij, Anno Christi 1559, ætatis uerò quinquageſimo ſexto.

Scripta à IOHANNE THOMA Ripenſi.

ADIECTVM EST ET EPICEdion, *ſcriptum à Petro Hegelio Ripenſi.*

Ripense Studium

1560

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

LECTORI.

Diſce mori uiuens, moriens ut uiuere poßis:
Hæc ars præ cunctis artibus una ualet.
Qui moriens ſoli potuit confidere Chriſto:
Hic etiam media uiuere morte poteſt.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

SERENISS. AC ILLVSTRISS. PRINCIPI ET Domino, D. FRIDERICO II, Daniæ, Noruegiæ, Sclauorum & Gothorum regi: Duci Sleſuicenſi, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ: Comiti in Oldēburg, & Delmenhorſt, Domino ſuo clementiſsimo.

AMBROSIVS in oratione funebri, de Theodoſio ſcripſit: Dilexi uirum, qui cum corpore ſolueretur, magis de eccleſiarum ſtatu, quàm de ſuis periculis angebatur. Id rectiſsimè à nobis, inclyte & ſereniſsime Rex, de patre Regiæ Maieſtatis tuæ, CHRISTIANO Tertio, fœlicis memoriæ, uſurpari poſſe exiſtimo.

Is enim cū non minus reipſa, quàm nomine, Chriſtianus eſſet, Chriſtūq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

& doctrinam eius amore ſummo cō-
plecteretur, toto regni tempore, ma-
ximè uerò ultimo uitæ menſe, ea agi-
tabat conſilia, quæ nō modò politijs,
ſed & eccleſijs, ſaluti & honori eſſe
poſſent: nunc de certis Superinten-
dentum reditibus, nunc de Scholis a-
periendis, nunc de Noſocomijs plu-
ribus, decreta noua edidit: unicè ſolli-
citus, ut ante migrationem ſuam in Ec
cleſiam & patriam cœleſtem, poſteris
eccleſias & ſcholas quam optimè in
his regnis conſtitutas relinqueret.

Cumq; morti uicinus ipſe, eos qui
prioribus annis ex hac uita euocati fu
erant, in memoriam reuocaret, & de
Academia Haffnienſi ſubinde cogi-
taret, obitū clariſsimi theologi Doct.
Iohannis Machabæi tulit ægerrimè:
quòd ſciret eum ſacras literas ſeduli-
tate ſumma, nec minori fructu tradi-
diſſe, & habita cum nonnullis delibe-
ratione, de ſucceſſore facultati Theo-
logicæ præficiendo, D. Victorinum
Strigeliū, miſsis literis ſua manu ſub-
ſcriptis,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

ſcriptis, per Eraſmũ Heinſenium uocari fecit. Adeò Rex pijſsimus, etiam tum cum animam penè ageret, eccleſias & ſtudia diſcentium ſuis cõſilijs & decretis regere conabatur.

Sed deſino plura de eo commemorare, cum nemini non compertum ſit, ipſum ea pietate & probitate omnibus antecelluiſſe, ut ab hoc uno Rege, omnium rerũ egregiarũ, uirtutum præſtantiſsimarum, & ueræ pietatis exempla ſumi poſsint: quę tanta in eo ſunt inuenta, quanta in omnibus principibus, quos aut uidimus, aut audiuimus, non fuerunt.

Et quemadmodum grauiſsimè inquit Nazianzenus,

γένους προάρχειν κρεῖσσον, ἢ λύειν γένος· ὡς καλὸν εἶναι, ἢ καλῶν πεφυκέναι: ita etiam, quamuis nõ minimam laudem meretur Chriſtianus Tertius, propter generis & familiæ nobilitatem, quòd ex prę́ſtantiſsimis Heroibus & Regibus ortus ſit (nemo enim eſt qui neſciat, auum, patruum, patruelem, &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

patrem eius, Reges Danorum inclytos & potentiſsimos fuiſſe) maius tamen decus, & dignitas omni nobilitate præſtantior ei accedit, ab excellenti pietate, & uirtutibus eximĳs, quibus per omnem uitam fuit deditiſſimus, & omnium in ſe oculos cõuertit, ut hãc pulcherrimarum uirtutum coronam in eo ſumma cum admiratione contemplarentur, eiq́; hunc honorem læti congratularentur, quòd maiores fortiſsimos tantis et tam præclaris animi dotibus non modò æquaret, ſed longè etiam ſuperaret.

Non autem exiſtimet Regia Maieſtas tua, me hoc auribus tuis dare: ſed potius conſideret,nullius eſſe tantum flumen ingenĳ,nullam ſcribendi aut dicendi tantam uim,tantamq́; copiam, quæ non dicam exornare, ſed enarrare res eius geſtas poſsit: me tamen cupere, omnibus hac cõmemoratione qualicunque oſtendere, tanta eſſe eius in eccleſias & ſcholas merita, ut dignus ſit qui non modò diligatur

gatur, ſed crebris multorum præconijs celebretur: ut gloria nominis eius, unà cum fructu beneficiorum ab ipſo profectorum, ad poſteros propagetur, & corda multorum ad ueram gratitudinem Deo pro tam ſalutari principe exhibendam incitentur.

Quæ res, ut uerum fatear, me etiã impulit, ut etiamſi ſcirem ſummos ac clariſsimos uiros, Doct. Nicolaum Hemmingium, præceptorem meum obſeruandum, & Doctorẽ Iacobum Bordingum, pro ſua ſumma copia ac ſingulari facultate dicendi, permulta de hoc Rege grauiter ornateq; dixiſſe: hęc tamen pro mea tenuitate de eo conſcriberem, & diſcipulis fidei meæ commiſsis, idem anno ſuperiori argumẽtum carminis proponerem, quod more ueteri, ipſo Thomæ apoſtoli die, in corona doctorum hominum recitarent.

Hanc autem orationem ſub R.M.T. nomine in publicum prodire uolui, quòd certò acciperẽ, ſimilem alio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

rum operam R. T. M. antea pergratam fuiſſe: & conſiderẽ, R. T.M. paternarum uirtutum, & rerum præclarè ab ipſo geſtarum memoriam & cõmemorationem frequentem non improbare: cum manifeſtũ ſit, R. T. M. paternis inſiſtere ueſtigijs, & facta eius magnifica, in pietate, gubernatione politica, & tota uita, ſibi tanquã ante oculos imitanda proponere.

Scripſit etiam patri R. M. T. Epicedion, bonæ indolis adoleſcens Petrus Iohannes Hegelius, honeſto loco in hac urbe, patre Conſule natus: quod cum propter facilitatem & elegantiam, qua is æquales omnes ſuperare uiſus eſt, lectu non ſit indignum, huic orationi commodè adiungi poſſe uidebatur.

Quare, quod reſtat, Regiam tuam Maieſtatem humiliter oratã habeo, ut hunc meum conatum, bono animo inſtitutum, in meliorem partẽ interpretari, & ſereno uultu accipere dignetur.

Precor

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Precor etiam Deum, æternum patrem Domini noſtri IESV Chriſti, Regem regnantiũ, ut R. M. T. quam diutiſsimè nobis ſeruet incolumem: & ut gubernatio R. M. T. fœlix ſit, & ſalutaris: & regnum tuum diuina benedictione florens, ab omnibus hoſtium incurſionibus tutum & inuiolatum permaneat, & porrò etiam ueræ Chriſti eccleſiæ hoſpitium præbeat. Datę Ripis: Anno Chriſti nati 1560, 12 die Auguſti: quo die, ante annos 57, natus eſt R. T. M. pater CHRISTIANVS III, Rex Danorum potentiſsimus: & eodem die, poſtea anno ætatis ſuæ 34, Haffniæ ſolenni ritu coronatus.

Sereniſs. R. T. M.
deditiſs.
Iohannes Thomas
Ripenſis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

ORATIO, DE ILLVSTRISS. PRINCIPE AC DOMINO, D. CHRISTIANO *Tertio, rege Daniæ, & Noruegiæ, &c.*

EXTAT apud Eſaiam dulciſſima Dei promiſsio: Erunt Reges nutricij tui, & reginæ nutrices tuæ. qua Deus Eccleſiam ſuá, in hoc mundo ut afflictiſsimam, ita mille periculis obrutam, conſolari uoluit: & ſimul docere, ſe genus humanũ imperijs ſociatum, ideo conſeruare, ut ex eo colligatur Eccleſia: ſeq; pios & ſalutares gubernatores politijs pręficere, ut inter horribiles mundi confuſiones, Eccleſiæ ærumnoſæ hoſpitium præbeant, & ut nos grati hoc eius beneficium agnoſcamus.

Tales enim fuiſſe quamplurimos, uarijs temporibus diuinitùs excitatos, teſtantur Hiſtorię ueteres: & in his Dauidē, Ioſaphat, Ezechiá, Ioſiá, Conſtantinum, Theodoſiũ, Carolũ Magnum, & Othonē primum, præcipuè celebrat antiquitas.

Sed,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Sed, ut cæteros taceam, talē fuiſſe hoc noſtro tempore, in his terris, ſanctiſsimū principem, CHRISTIANVM Tertium, piæ memoriæ regem & nutritium, omnes tum exteros, tū incolas fateri neceſſe eſt.

Atque utinam maior à pleriſque Deo exhibita eſſet gratitudo, pro beneficijs, quæ harum regionum eccleſijs, ſcholis & politijs per ipſum contigerunt: non certè tanto bono, tam ſubitò priuati eſſemus: nec mortem eius, nobis immaturam, oratione lugubri deplorare cogeremur.

Nunc autem in hoc triſti & graui caſu, cum Deus Regem optimum, in cœleſtem eccleſiam auocauerit, eumq́; nobis ingratis eripuerit, multæ doloris cauſæ concurrunt: ut nemo ſit, qui mortuo hoc patre patriæ, nutritore Eccleſiæ & ſcholarum, non meritò, mœrore, cura & ſollicitudine afficiatur.

Luget Regina illuſtriſsima, amiſſo marito unicè dilecto: lugent orbitatem ſuam generoſi & illuſtres liberi, amiſſo patre: luget ampliſsimorū procerū Senatus, amiſſo publici cōſilij duce pręcipuo, cuius prudētia cū pietate coniuncta, omnia gerebantur ſapientiſsimè. Conflictatur acerbiſsimo

biſsimo mœrore uniuerſa patria, amiſſo principe optimo: quem marte togaq́; ſibi ut beneficum, ita φιλόστοργον patrem eſſe cõperit. Lugent, idq́; omnium maximè, Eccleſiæ & Scholæ, amiſſo nutricio, uindice & propugnatore fideliſsimo.

Sed tamen gratię Deo agendę ſunt, qui pro immenſa miſericordia ſua, hoc piorum Mecœnate decedente, illuſtriſsimũ eius filium FRIDERICVM Secundum nobis Regem conſtituit: & ita nos omnes exuſcitauit, ut & ardentibus uotis precemur, eum ſpiritu ſancto gubernari, ut paternis inſiſtat ueſtigijs: & eo conſpecto, ſuauiſsimã ac utiliſsimam patris memoriam perpetuò retineamus.

Quæ res mihi etiam animum addidit, ut hunc de CHRISTIANO Tertio ſermonẽ inſtituerem, non oſtentandi ingenij gratia, quod ſentio quàm ſit exiguum: ſed teſtificandæ erga ipſum gratitudinis, & utilitatis ex ſempiterna eius memoria prouenientis.

Vtile enim eſt, eum crebris multorum præconijs celebrari, ut memoriam uirtutum ac beneficiorum eius grata mente cõſeruemus, Deoq́; gratitudinem præſtemus,

mus, pro tot & tantis beneficijs, Eccleſiæ & Reipub. per ipſum exhibitis, quot & quanta uix unquam quiſquam tacitus à Deo auderet optare: & hoc illuſtri exemplo commonefacti, noſipſos ad uirtutes eius, pro noſtra uocatione imitandas, excitemus: ac potiſsimùm piam moriendi artem, ab ipſo ſeruatam, ſedulò addiſcere ac imitari ſtudeamus.

Primùm itaque mihi uidetur de natalibus ac genere uitæ, deinde de moribus, tum de morte & exitu uitæ placidiſsimo eſſe dicendum.

Natus eſt CHRISTIANVS Tertius, Rex Daniæ & Noruegiæ, de quo dicturi ſumus, Anno Chriſti 1503, duodecimo die Auguſti: cum Sereniſsimus Rex Danorũ, &c. IOHANNES, patruus eius, annos XX hiſce regnis imperaſſet.

Patrem habuit illuſtriſsimum principem, FRIDERICVM Ducem Holſatiæ, filium CHRISTIANI primi, regis Daniæ, ex ueteri & celeberrimo genere Comitum Oldenburgenſium & Principum Saxoniæ oriundum: qui ad Regiam dignitatem euectus, hoc Daniæ regnũ annis decem magna laude adminiſtrauit.

Mater

Mater ei fuit ANNA, nata in præſtantiſ-
ſima familia Marchionum Brandeburgē-
ſium, patre Marchione Iohanne Electore,
filio Alberti Marchionis & Electoris bel-
licoſiſſimi: qui ab heroica animi magni-
tudine: uirtutis excellẽtia, & reb. pręclarè
geſtis, dictus eſt Achilles Germanicus.

Nec certè minima laus eſt, Chriſtianũ
ex nepte tanti herois prognatum eſſe,
cum ſemina uirtutum & ſimiles impetus
à parentibus in liberos, à maioribus in po
ſteros propagari exiſtimentur: ut inquit
Pindarus in Pythijs, *φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέ-
πει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα.* hoc eſt: Genero-
ſi parentum animi, naturà & in filijs ex-
cellunt.

Deinde cum uerißimum ſit, gradus ho
minum diſtinctos eſſe diuinitus: magna
laus eſt & dignitas Nobilitatis, præſtãtes
& heroicas familias cæteris hominibus
præferri, aliquantiſper à Deo conſeruari,
& excellentibus donis ac uirtutibus exi-
mijs ornari.

Sed maius adhuc decus & utilitas No-
bilitatis in hoc Chriſtiano inuenitur,
quòd ex pijs parentibus natus ſit. Non e-
nim dubium eſt, quin tanta & tam præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

clara Dei beneficia, quibus affatim abundabat, eorum pietate & precibus acceperit: quemadmodum ſcriptum eſt, Generationi rectorum benedicetur. Quam Dei promiſsionem alicubi auditam, Theocritus hoc uerſu comprehendit:

ἐυσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ.

Iuſtorum ſoboli bene fit, malè cedit iniquûm.

Natura autem in eo excellens, liberalem inſtitutionẽ magno cum fructu experta eſt. Nam à primis annis: nõ modò literas bonas, & uerá de Deo doctrinam, quantum illa ferebant tempora, didicit, ſed etiam ad amorem Chriſtianæ religionis, iuſticiam, manſuetudinem, & id genus uirtutes cæteras Principe dignas, optimè eſt inſtitutus.

Deinde ineunte adoleſcentia, iuſſu patris, ut mores hominum multorum noſceret, ac urbes, in Germaniam profectus eſt, ad auunculũ ſuum IOACHIMVM primũ, Electorẽ Brandeburgenſem, rara eruditione & facundia prędităũ. apud quẽ cũ aliquandiu uiueret, partim in literis, prudentia, militiæ diſciplina, & moribus honeſtis, progreſſus fecit inſignes: partim etiam heroicę de ſe indolis ſpecimẽ edidit.

Nam

Nam cum annos natus octodecim, àuunculum ſecutus, comitia Vuormaciæ, Anno Chriſti 1521. de doctrina Lutheri habita adijſſet: uidit ibi monachum quēdam, Epicuri de grege porcum, coram Imperatore CAROLO Quinto, & ordinibus Imperij, tam ridicula geſticulatione concionantem, ut hiſtrioni quàm Theologo ſimilior appareret: dum per uices nunc ſeſe erigeret, nunc quaſi precandi gratia reclinato corpore in genua procumberet. Aduertit autem generoſus Princeps, fraterculi funem, quo præcinctus erat, ſubinde per rimam ſuggeſti demitti. Quare occaſionem captans, clanculum iniecto nodo effecit, ut monachus retentus, publicè Cæſaris opem inclamaret, & graui querela Lutheranorum perfidiam exciperet, dum incuruatus, ſeſe (more priori) non poſſet ante ſolutum nodum erigere.

Cum autem impetus animi, & ardor mentis ad gloriam, in adoleſcentia tanquam in herbis ſignificare ſoleant, quæ uirtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ: uidetur CHRISTIANVS hoc facto, quaſi læto omine, certum præbuiſſe indicium, de ſecuta per eum in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

his regionibus Euangelij propagatione, reiectis monachis, ſacrificulis, atq; id genus alijs hypocritis quamplurimis.

Simul etiam gratā Imperatori magnanimitatem, & probitatem ingenuam, eo tempore oſtendit. Cum enim omnes, præſertim Pontificij, re noua & inſolito monachi clamore redderentur attoniti: Cæſar ipſe admodum commotus, facti autorem ſollicitè inquiri mandat. Eo cognito, CHRISTIANVS rem omnem Cæſareæ Maieſtati, ordine per auunculum exponi curat: ne quis ſuſpicione cæca, ob ſuum factum, iniuſtè in diſcrimen ueniat.

Ac fertur clementiſsimus Imperator Carolus, laudata eius heroica indole, uultu placido ſubridens, eũ à ſe dimiſiſſe: & poſtea ſæpius, cum mentio huius incideret, iucundam ea de re cõmemorationem inſtituiſſe. Sed his omiſsis, ad grauiora feſtinemus.

Reuerſus ab auunculi aula in Holſatiam, patri FRIDERICO autor extitit, ut abiectis nugis papiſticis, & tenebricoſis hominum figmentis, puram Euangelij lucem ipſe amplecteretur.

Deinde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Deinde iam annos natus uiginti, eidẽtum Regi Danorum electo, fidelem in expugnanda Haffnia operã præſtitit: ſuæq́; fortitudinis & rei militaris, in obſidione diutina, tam læta initia habuit, ut parenti ſuo non ſolum adiumento in periculis, ſed etiam gratulationi in uictoria fuerit.

Cum autem à coronatione patris, in ducatum Sleſuicenſem reuerſus eſſet, afflictis & captiuatis hominum cõſcientijs gratam Euangelij prædicationẽ latè ſpargi curauit, uſus ad hoc potiſsimum opera Doct. Eberhardi Vueydenſehe, & præſtantiſsimi uiri, optimè de eccleſijs harũ regionum meriti, M. Iohannis Vandali Goslarienſis: qui & poſtea in hac urbe Ripenſi, primus poſt remotos ab officio põtificios, Superintendens conſtitutus, firma ueræ religionis fundamenta iecit: & omnibus, quantum in principio renaſcẽtis Euangelij fieri poterat, per totam diœceſin rectè conſtitutis, colica paſsione debilitatus, in uera fide, & aſsidua filij Dei inuocatione, placidiſsimè ex hac mortali uita in cœleſtem academiam diſceſsit: Anno Domini 1541. undecimo die Auguſti, ſub horam quartam à meridie. Toto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

autem morbi tempore, orationem Moſi, Domine refugium factus es nobis à generatione in generationẽ, &c. ſœpius in ſui conſolationem repetijt.

Sed redeo ad CHRISTIANVM, qui in externa gubernatione iuſtus, clemẽs & munificus erat: obſequens omnibus, aduerſus nemini, adeò ut ab omnibus diligeretur, nec ullis niſi perditis hominibus, aut ſceleratis Papiſtis infenſus eſſet.

Et ut ſuæ ditioni ſubiectos nõ ſola pietate, ſed & caſtitate, alijsq; uirtutibus anteiret, elegit ſibi coniugem, uitæ ſociam, piam & modeſtiſsimam principẽ, DOROTHEAM, ex clariſsima inclytorum Saxoniæ principum familia ortam, filiam illuſtriſsimi principis MAGNI, Ducis Saxoniæ inferioris.

Nec infœcunda ea fuit, ſed Deo benedicente peperit ei quinque generoſos liberos: ANNAM, quæ nupſit AVGVSTO, Duci Saxoniæ Electori, &c. FRIDERICVM Secundum, Regem ac dominũ noſtrum clementiſsimũ, (qui natus eſt anno Chriſti 1534, Calendis Iulij: & hoc anno patri ſanctiſsimo fœliciter ſucceſsit, annum agens quintum & uiceſimum:) & præter hos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

ter hos, MAGNVM, IOHANNEM & DOROTHEAM.

Cæterùm ut & reliquum uitæ curſum attingamus, ſciendum eſt, Chriſtianum à morte patris, ad hæc regna gubernanda uocatum, electum, coronatum.

Cum enim pater eius, fœliciſsimæ memoriæ, FRIDERICVS primus, Anno Chriſti nati 1533, decimo die Aprilis, inuocato filio Dei, placida morte obijſſet: ſecutum eſt interregnum, quod multis periculoſis motibus has terras inuoluit.

Sinite hoc loco, Auditores, præterire me calamitatem noſtram: quæ tanta fuit, ut ex ea non modò huius regni incolæ, ſed & uicini, ſi qui fortè nobis amicitia coniuncti erant, ingentem dolorem, luctum, mœroremq́; ſuſceperint.

Mortuo enim FRIDERICO, Rege optimo, & legum ac pacis amantiſsimo, fuit hoc Regnum Daniæ, non minus quàm Alexandri mortui exercitus, Cyclopi effoſſo oculo ſimillimum.

Nam gloria paucorum, laudis tituliq́; cupido, ut poetæ uerbis utar, patriam noſtram obruit: uana regnãdi libido, neſcio quorum Magnatum animos occupauit:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

& exteris huic terræ tanquam prædæ inhiantibus, ſpem fecit, regnum tot & tam diuerſis Dominis ſubiectum, facile occupari poſſe.

Vnde Chriſtophorus comes ab Oldenburg, unà cum Georgio Textore & Marco Meiero Lubecenſibus, anno ſequenti, nulla occaſione data, armatus fines Holſatiæ depopulari cœpit, non miſsis fecialibus, nec bello denunciato: ſed tamen celeritate & induſtria Chriſtiani, tum Ducis Holſatiæ, repreſſus, in Selandiã profugit, eamq́ue certo defenſore carentem facilè occupauit: dum ſe Chriſtiani II Regis captiui cauſam agere ſimularet, & in hoc felici rerum ſucceſſu Albertum Megapolenſium Ducem bellorum ſocium haberet.

Anno 1534.

Hic in ipſo illo malo, grauiſsimaq; offenſione, omnes Regni proceres Chriſtiano III Lubecam obſidenti, ſceptrum Daniæ offerunt: quòd is, aliqua ex parte, ijs incommodis mederi poſſe uidebatur. Eam prouinciam, ut duram, difficilem, nec à periculis alienam, bonus princeps, aliquoties quidem modeſtè recuſauit: ſed tandem, inuocato Dei auxilio, ſuſcepit:

ne patriæ

ne patriæ & uicinis, quorum res erat in extremum deducta diſcrimen, ſuam operam denegare uideretur. quo facto, miſſos ad ſe Regni optimates, blanda oratione in illo timore excepit, diffidentesq́ue rebus ſuis confirmauit, & afflictos erexit, dubiosq́ue recreauit.

Tantis autem motibus inteſtinis regnum hoc turbatum erat, ut toto biennio uix in priſtinam trãquillitatem, poſt confectum teterrimum periculoſiſsimũque bellum, reſtitui poſſet. Et, quemadmodum grauiſsimè dicitur,

Ἐν δυστυχίαις λάμπει τὸ καλὸν:

ita etiam triſti & periculoſo eo tempore, inter tantas aduerſitates maximè illuxit eximia Regis electi uirtus, & infracta animi fortitudo.

Atque ut omnes intelligant, me huic Chriſtiano III tantum tribuere laudis, quantum ſapienti uiro & fortiſsimo bellatori debeatur: dico, eius aduentu Clementem nautam, turbatorem Iutiæ borealis (quam ueteres Cimbricam Cherſoneſum appellant) uictum, capitis damnatum, & rotis quatuor impoſitum: eandemq́ue mercedem aliquanto poſt etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Meiero Scaniam uexanti redditam : urbẽ Alburgenſium celebrem obſeſſam, oppugnatam uehementiſsimè, & ui captam, ciuesq; ad unum omnes ob rebellionem è medio ſublatos: hanc autem Ripam, patriam noſtram, multis expoſitam periculis omni terrore belli ruſtici, tetri & periculoſi, uicinia, celeritate & clementia eius liberatam. magnas præterea Chriſtophori Comitis & Lubecenſium copias, omnibus rebus ornatas atque inſtructas, ad Aſnicium, Fioniæ urbem, edita ſtrage ingenti eſſe deletas: interfectis inter cæteros penè innumeros, duobus Comitibus, uno ab Hoya, altero Teccelnburgẽſi ex Vueſtphalia: Iiſdem diebus ab eodem Rege deſignato, claſſem magnam atq; ornatam, quæ ducibus Lubecenſibus in Daniam peruenerat, omniaque igne & ferro miſcere cœperat, ſuperatam eſſe atque depreſſam: Haffniam bello & fame quaſſatam, poſt obſidionem grauiſsimam, in deditionem ueniſſe: cæterasque urbes Fioniæ, Selandiæ, & Scaniæ, uno aditu atque aduentu eſſe captas.

Anno 1535. 11 die Iunij.

Anno 1536.

Multa prætereo cõſultò, quæ cum adhuc in recenti uerſentur hominum memoria,

3082.

moria, neminem latêre poſſunt. Vnum hoc addam, quòd mox poſt Haffniam ingreſſam, CHRISTIANVS obſtacula omnia, quæ curſum Euangelij renaſcentis impedire uidebâtur, heroica animi magnitudine ſuſtulit: uariasque Romanæ eccleſię reliquias aut ſubitò ſedibus deturbauit, aut in eum redegit ordinem, ut auxilij plus quàm periculi ab illis Euangelio ſit expectandum.

Hoc tantum malum impietatis Papiſticæ, tam turpe, tā uetus, & multorum animis inueteratum, tam latè diuiſum atque diſperſum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus principibus uno anno, aut omnibus annis ab uno principe, funditus eradicari potuiſſe? Sed quia,

Nullius eſt fœlix conatus & utilis unquam,
Conſilium ſi non detq; iuuetq; Deus:

gratiæ Deo agendæ ſunt, qui inuictam Regis fortitudinem in periculis, & uerè pium pro gloria Chriſti zelum, fœlici euentu coronare dignatus eſt: ut eius auſpicijs nō ſolum ab hoſtibus corporum, ſed etiam à captiuitate animarū, plus quàm Babylonica, liberari poſſemus.

Tandem deuictis, fugatis & captis ho-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

ſtibus, duces ipſi qui bellorum autores fuerant, unà cum ingenti multitudine, tanta humanitate dimiſsi ſunt, ut difficile dictu ſit, utrum magis uirtuté eius hoſtes pugnantes timuerint, an manſuetudinem uicti dilexerint.

Pace deniq; non ſine laboribus & difficultatibus acquiſita, CHRISTIANVS III unà cum regina Dorothea, Haffniæ coronam horum regnorum, ſibi ritu ſolenni imponi curauit: Anno à nato Chriſto 1537, Dominica poſt feſtum Laurentij proxima, quæ eo anno in diem Auguſti duodecimum incidebat, huius Chriſtiani natalem.

Et ab eo tempore, uſque ad extremum uitæ halitum, his terris magna cum laude præfuit, annis ferè 22. quibus ſi biennium addideris, quod ab electione ad coronationem eius interceſsit, apparet eum totos 24 annos regio munere perfunctũ, quod anno ætatis ſuæ 32 incepit: & tanta dignitate adminiſtrauit, ut omni uirtutum genere non modò proprijs ſubditis, ſed & uniuerſis Europæ regibus antecelluerit.

Etſi auté tota eius uita, & gubernatio

politica,

politica, multis excellentibus uirtutibus ornata fuit: nos tamen eas potiſsimum deligamus, in quibus cum Ezechia, Ioſia, Theodoſio, atque id genus pijs principibus conuenit. Conuenit autem in plurimis, adeò ut expreſſam Chriſtiani regis, ac præcipuè Ezechiæ imaginem in eo eluxiſſe haud immeritò dixeris.

Nam ſiue pietatem ſpectes, ſiue inſtaurationem cultus Dei, ſiue euerſionem idolorum, ſiue tranquillitatis paciſq; ſtudium, ſiue denique ardentem in morbis & periculis omnibus inuocationem ueri Dei conſideres, inuenies in utroque ſimilia multa, quæ pulcherrimè inuicem conferri poſſunt.

Videtur itaque mihi breuiter de his dicendum. Ac primũ de pietate, quæ quanta in hoc noſtro rege fuerit, nemini dubium eſſe poteſt. Is enim Regni gubernatione accepta, non tam nomine, quàm ipſa re, ſe & Chriſtianum & Regem eſſe declarauit: unicè præ cæteris principibus in hoc ſollicitus, ut doctrinam Chriſti ſibi optimè cognitam propagaret, & per uniuerſum hoc regnum Danicum piè & conſtanter diuulgari curaret: qua re tan-

dem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

dem effecit, ut terræ Boreales, remotiſsimis marium interuallis diſsitæ, & tamen imperio eius ſubiectæ, Gotlandia, Noruegia, Farenſes inſulæ, & Islandia, liberatæ à ſuperſtitioſis hominum traditionibus, ſinceram Euangelij doctrinam acciperent. Atque ita inueteratam Papiſtarum idolomaniam, à patre ſuo, pię & felicis memoriæ, FRIDERICO primo oppugnari cœptam, tanta fœlicitate euertit, ſuſtulit, extirpauit: ut ad propagationem ueræ doctrinæ, diuino quodam conſilio natus eſſe uideatur.

Prętereà habita deliberatione cum Senatu regni, & uiris doctrina & iudicij rectitudine excellentibus, ordinationem Eccleſiaſticam conſcribi fecit: quam cum Luthero, & alijs ſcholæ Vuittebergenſis Theologis nõ diſplicere intellexiſſet, ſuo etiam & totius Senatus ſuffragio approbauit: maximè cum in ea contineantur omnia, quæ ad conſtitutionem Scholarum & Eccleſiarum, adeoq; ad obſeruationem licitam piarum & utilium ceremoniarum pertinent.

Et tandem, ut ea quæ in ordinatione piè ſancita erant, felicioré haberent ſucceſſum

ceſſum ad gloriam Dei, & uberiorem E-
uangelij propagationem: ſeptem in hoc
regno Daniæ, & quatuor in Noruegia,
Superintendẽtes eccleſiarum eſſe uoluit,
eruditione, pietate & morum innocentia
celebres: qui curá paſtorum idoneorum
eccleſijs præficiendorum haberent, & cœ
ptam Euangelij diſſeminationem ad meſ
ſem perducerent: habita ſimul uerè pau-
perum ratione, quibus uitæ neceſſaria in
noſocomijs liberaliter exhiberentur.

Deinde eccleſijs bene cōſtitutis, Scho-
las tanquam ſeminaria adiungendas ſta-
tuit, in quibus literæ & artes bonæ tra-
derentur: ut ſine quibus miniſteriū Verbi
diuturnum eſſe non poſſet.

Cum autem Scholæ ſint non ſolum Ec
cleſiæ ſeminaria, ſed quædam ueluti pie-
tatis & honeſtatis officinæ, in quibus in-
genia, etiam ad reliqua uitæ genera ſube-
unda, præparari debent: ſapientiſsimo
cōſilio curam Scholarum ab hoc Rege in-
ſtitutam perſpicimus.

Vidit enim, ſemper diuino conſilio cœ
tus ſcholaſticos eccleſijs adiunctos fuiſſe:
uidit ſummos doctores, Eſaiam, Elizeū,
Iohannem Baptiſtam, Chriſtum & Apo-
ſtolos,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

ſtolos, magna auditorum agmina habuiſſe. agnouit, inſtauratorem ueræ religionis in eccleſia Vuittebergenſi, & uicinis locis, Doct. Martinum Lutherum, felicis memoriæ, ſocium laborum & periculorum beneficio Dei habuiſſe clariſsimum uirum Philippum Melanthonem: qui, ut omni diſciplinarum et linguarum Eccleſiæ utilium cognitione excultus erat, ita ſummum in ea ſchola reſtauranda locum haberet. Vnde factum eſt, ut hic Scholæ, ille Eccleſiæ potiſsimùm inſeruiret, ea dexteritate, ut & rudiores in doctrina religionis, & artibus humanioribus in uita neceſſarijs erudirentur, & tota uicinia inde eccleſiarum gubernatores peteret.

Volens igitur CHRISTIANVS in hoc regno, præter Scholas cęteras, potiſsimũ Academiã Haſſnienſem, ab auo ſuo Chriſtiano primo ante annos abhinc 80 fundatam, tũc autẽ motibus bellorũ ferè collapſam, reſtaurare: id per doctiſsimos uiros, ſcholæ Vuittebergenſis alumnos, effectum reddidit. et aucto profeſſorũ numero, ſingulis certa ſtipendia, unde honeſtè uiuerent, magna liberalitate attribuit.

Lau-

Laudantur priſci Danorũ Reges, quos aut templa extruxiſſe, aut collegia & alios cœtus ſcholaſticos inſtituiſſe, aut quoquo pacto religioni Chriſtianæ ornamento uel adiumento fuiſſe, memoriæ proditum eſt.

Haraldus Quintus, omnium Chriſtianorum Regum in Dania primus, ſuaſu LVDOVICI Pij Imperatoris, Moguntiæ ante annos 734, unà cũ uxore, & quos ſecum habuit proceribus, baptizatus eſt: *Anno Chriſti 825.* & cum per arma Saxoniæ à Cęſare impetrata, regno reſtitueretur, in reditu ſecum adduxit eruditum uirum ANSCARIVM, cuius opera primùm ueræ religionis doctrina in hoc regno, profanis gentium idolis etiam tum dedito, diſſeminari cœpta eſt.

ERICVS Tertius, non ſolum ipſe baptizatus eſt: ſed propoſito per totum regnum edicto, omnibus ſuis ut Chriſtiani fierent, & ueræ pietatis doctrinam amplecterentur, demandat. Anſgarium reuocatum, doctrina, baptiſmo, & miraculis (ut fertur) clarum, magna reuerentia obſeruat, amicis intimis annumerat. & non modò per ipſum, unà cum alijs prædicatoribus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

dicatoribus nonnullis, uerbum Dei latè ſpargi, & propagari facit: ſed & ex illius conſilio, ante annos circiter 700, duo templa in his terris omnium antiquiſsima extruit: primum Sleſuicenſe, alterum Ripenſe, in hac noſtra patria.

Anſgarius autem Hamburgum redire cupiens, reliquit Rembertũ diſcipulum ſuum, & in epiſcopatu Hamburgenſi ſucceſſorem, ut Chriſtianos νεοφυτὺς in his locis doctrina, exhortatione, & conſolationibus, aduerſus imminentes perſecutiones confirmaret.

HARALDVS Septimus, Gormonis Tertij filius, poſtquam præſente Othone primo, ante annos 615 baptizatus eſt, unà cum uxore Gunilda: & filio paruulo Suénone: (qui tum dictus eſt Suenotho: quòd eum Imperator Otho ex baptiſmo ſuſcepit) mox religionem labefactatã reſtaurauit: et Epiſcopatus erexit quatuor, Sleſuicenſem quidem & Ripenſem, reparatis priorum templorum ædificijs: Roſchildenſem uerò, & Aruſienſem, templis nouis apparatu magnifico extructis.

Anno Chriſti 944.

Et hæc in diuinis rebus prouehendis induſtria, tantam ei laudẽ peperit, ut Helmoldus

moldus aſſerat, non ſurrexiſſe ſimilem ei inter omnes reges Danorum, qui tantam Aquilonis latitudinem ad fidem cognitionis ueri Dei traxerit, & omnem terram eccleſijs & miniſtris Verbi fecerit eſſe inſignem. Quare eũ & inter Martyres Chriſti glorioſos numerat: quòd à filio perfido & apoſtata, ob profeſsionem ac propagationem nominis Chriſti, regno & uita priuatus ſit.

CANVTVS Quartus, quem plerique Sanctum appellare ſoliti ſunt, Epiſcopos, & cuiuſcunque ordinis clericos, benigniſsimis priuilegijs, decretis & honoribus adornare, & ſummis largitionibus demereri ſtudebat. cumque eos ſibi maximè deuinctos, intimis conſilijs adhiberet, & plebem ſacrorum rudem, fruſtra decimarum penſioni aſſuefacere uellet: grauiſsimas tum magnatum, tum popularium offenſas contraxit: & partim Blacconis perfidia, partim manifeſtis ſuorum, maximè Cimbrorum inſidijs petitus, anno regni ſui decimo, ante annos 481, propter ſtudium prouehendi & cõſeruandi miniſterium uerbi, Othoniæ in æde Albani trucidatus eſt, cum ante aram *Anno Chriſti 1078.*

pronus Deo ſeſe commendaret. ex cuius ſanctiſsimis uulneribus, ut inquit Saxo Grammaticus, plus gloriæ quàm cruoris effluxit. quippe præſenti uitæ exitu initium melioris accepit, hoſtili iudicio punitus, diuino ſeruatus.

VVALDEMARVS Primus, pio quodam zelo propagandæ gloriæ Dei, idolomanias Rugianorum ui prohibuit. Cum enim illi idolum Suanteuitum, ex ſimilitudine nominis à Sancto Vito denominatũ, ethnico ritu ſuperſtitioſe pro Deo uenerarentur, creaturam anteponentes Creatori: cui & præter cæteras ſacrificiorum impenſas, in peculium honoris annuatim (horribile dictu) hominem Chriſticolam, quem ſors acceptaret, litare conſueuerunt: Rex ante annos 390. ſimulachrum illud maximum, quo non aliud profanius extitiſſe creditur, deſtructo fano eius, ſuſtulit: & per lixas in exigua fruſta, aptosque foco ſtipites redigi, & igni applicatum, concoquendis militum alimentis ſeruire fecit. Incolas autem Rugię per Abſolonem Roſchildenſium epiſcopum, de cœleſti doctrina erudiri, & lauacro regenerationis in conſortium fideli-

um

um Chriſtianorum aſſociari curauit, datis in ædificia templorum ſumptibus.

Hæc, & ſi qua ſunt ſimilia, Chriſtianorum regum facta, magna eſſe, & inſignia ueræ pietatis indicia, quis nō uidet? quis non ijs laudem ſuam tribueret?

At ſi rationem ineamus, in quæ tempora gubernatio eorum inciderit, nō deerit in nonnullis, quod ut nulla laude dignum, ita Chriſtianum III regem ſanctiſsimum illis longè anteponat.

Nam licet tempore Anſgarij monaſteria fuerint Scholæ, in quibus iuuentus mediocriter in bonis literis inſtituebatur: & Epiſcopi adhuc ſuum fecerint officiū, ita ut ſummis laboribus, & cū maximo uitę periculo purā Dei doctrinā inter gentes profanas, fortiter & fideliter prædicarent, & ſacramenta adminiſtrarent: tamen labaſcente paulatim puritate doctrinæ, tyrannis Pontificia cōfirmari, imò & adorari cœpit: exorta Monachorum agmina penè infinita, quibus, adeóque omnibus Pontificijs, ampliores quàm decuit honores etiam à ſummis monarchis, regibus & principibus exhibiti ſunt.

Illi igitur Reges, quos diximus, tam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

infœlici ſeculo nati, etſi multa pręclarè ac piè geſſerunt, ut pijſsimis Imperatoribus & Regibus conferri poſsint, tamen næuis ſuis nõ caruerunt: quòd Romanenſibus, qui columnæ Eccleſię uidebantur, admodum addicti, nimium ſe ijs, pręſertim Monachis, non ſine Regiæ dignitatis ignominia ſubiecerint, moti fortaſsis honeſta opinione de religione: ut non tam ipſi, quàm Pontificiorum ſuperbia ſit accuſanda.

At CHRISTIANVS III, cum ueram de Deo doctrinam amplecteretur, & ſciret ſibi diuinitus commiſſam conſeruandæ doctrinæ curam, non ocioſos impiorum hominum cœtus amauit: ſed remotis ab officio docendi Pontificijs omnibus in Academia ſua Haffnienſi, hanc ipſam Euangelij doctrinam, à probatæ eruditionis & pietatis doctoribus tradi, diſci, & ad poſteros propagari uoluit, ut inde ſemper eccleſijs & ſcholis idonei gubernatores peti poſſent.

Porrò ut omnibus, etiam poſteris, ad fontes doctrinæ cœleſtis aditum pateface ret, magnos impendit ſumptus, ut Biblia ſacra in Danicam linguam uerterentur: &

typis

typis excuſa, in ſingulis Eccleſijs reponerentur: ſecutus, ut apparet, exemplum Conſtantini Magni, qui ſuis impenſis ſacra Biblia aliquoties deſcribi, & ex ſuo mandato ad omnes nationes tranſmitti curauit.

Solitus eſt autē ipſe uiros doctiſsimos, qui in ea uerſione occupati erant, ſæpius admonere, & cohortari, ut etiāſi linguarum imperiti non eſſent, potiſsimum tamen, quoad fieri poſſet, ueſtigijs Lutheri inſiſterent, & eius uerſionem Germanicam, quantum lingua pateretur, ſibi imitandam proponerent. Tanti fecit huius uiri iudicium & diligentiam, cuius ſcripta legebat aſsiduè.

Huic de eccleſijs ſollicitudini, acceſsit ſumma eius pietas in priuata & domeſtica uita. Manè experrectus, diem ab oratione ardēti auſpicabatur: qua finita, diebus ſacris, & alias ſæpiſsimè, inſignes quaſdam è ſacris literis ſententias, additis commonefactionibus pijs, prælegere ſolitus eſt, aſtantibus cubicularijs, & familiæ aulicæ: quæ ad eum audiendum, non ſecus ac ad publicas cōciones, magna diſcendi auiditate concurrebat.

Ante prandium, tempus aliquod cauſis cognoſcendis impendit: & ipſe iuſticiæ amans diligenter cauit, ne στρεψοδικίστης fieret, uéue quid turpe in ſe admitteret per iniuſticiam: quin quod æquum eſſet, ac bonum, tam plebeio quàm patricio, tam pauperi quàm diuiti tribueret.

In prandio, adiunctos habuit doctos uiros, Conſiliarios aut Theologos ſuos, cum quibus de hiſtorijs, aut religionis & reipub. ſtatu piè contulit: mouẽs interdũ queſtiones et diſputationes de reb. arduis.

Vt enim ſyncero amore doctos omnes complexus eſt, maximeque eos qui Euangelij doctrinam profiterentur, quos fauore, muneribus & honore proſequi nunquam deſtitit: ita etiam præſentia & colloquijs eorum ſummè delectabatur.

A' prandio, quoties publicis negocijs non occuparetur, ſtudijs humanioribus, ac præſertim mathematicis, aut lectione ſacra ſeſe oblectabat.

A' cœna, non helluationibus, non aleę deditus erat: ſed plerunque uel Pſalmos canere, uel hiſtorias elegantes legere ſolebat: donec peractis precibus ſuis, Deo ſeſe commendaret: & ſuaui muſicorum

concentu

concentu oblectatus, ſomnum caperet.

Theodoſius Secundus ſcripſit ſua manu libros Noui teſtamenti, quorum aliquam partem quotidie legit.

Fertur & Alphonſus rex Neapolitanus, Biblia ſacra, unà cum Gloſſa (ut uocant) ordinaria, quatuordecies diligenter perlegiſſe, adeò ut non modò hiſtorias præcipuas, ſed etiam multas paginas, de uerbo ad uerbum, memoriter recitare potuerit: & tamen diem quo nihil legiſſet, ſibi turpiter perijſſe dolebat.

Tanta, ſi non maiori, diligentia erat CHRISTIANVS Tertius. Plurimum enim temporis ſacræ lectioni tribuebat quotidie. & ſimul ſcripta Lutheri, ac aliorum piorum diligenter inſpexit: idque ea felicitate, ut magnos paulatim in uera pietate progreſſus faceret. Et in æſtu tentationum ac periculorum efficaciam Euangelij ſentiens, frequenter dulciſsimum cœleſtis doctrinæ nectar appeteret, ſeque eo recrearet: quod non, ut ille, putidis & feculentis hominum commentis, gloſsis ἀγλώσσοις, interpretationibus obſcuris aut impijs turbatum, nec humanarum traditionum uappa malè dilutum: ſed ex fon-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

tibus limpidiſsimis, Lutheri interpreta-
tione pia, perſpicua, & analoga fidei, pri-
ſtino nitori reſtitutis, affatim hauriebat.

Non dicam quanta alacritate, ſine fa-
ſtidio, quamplurima hiſtoricorum monu
menta euoluerit. unde factum eſt, ut an-
nalibus patriæ etiam perluſtratis, præter
cætera pleroſque Danorum reges, ferro
& inteſtinis bellis abſumptos didicerit,
ſuamque uitam Deo ardentius commen-
dauerit.

Ac, ut breuiter quod res eſt dicam, tan-
tum crebra piorum & utiliũ ſcriptorum
lectione profecit, ut mentem ſacris uer-
bi diuini ſententijs, & præceptis uitæ
quàm optimè formatam haberet: nec in-
feliciter regulam Nazianzeni ſibi obſer-
uandam proponeret, quam utinã omnes
non modò principes, ſed & ſinguli cuiuſ-
cunq; loci atq; ordinis homines imis pe-
ctoribus infigerent,

ὁ νοῦς ἀεί σοι καμνέτω, τυπούμενος
θείοις νοήμασί τε, καὶ βίου λόγοις.

Taceo continuum orandi ſtudium,
quo ſemper impendentes calamitates a-
uertere nitebatur. Notum enim eſt, do-
ctiſsimos homines in Germania & alijs
regnis,

3082.

regnis,ſancta ieiunia et litanias publicas, per uniuerſum regnũ, ſingulis penè annis, ab hoc Rege inſtitutas, ſummis encomijs prædicare: & cõſtanter aſſeuerare, ſe nunquam tam pia, tam ueterum regum ſimilia uidiſſe ieiunia, aut inuocationis exercitia: quibus non ſecus ac olim Niniuitarum, rex CHRISTIANVS ipſe alios exemplo haud cõtemnendo anteiret.

Nec fuit inanis & fruſtranea hæc precandi aſsiduitas, quin & Regi & regni incolis commoda afferret plurima: adeò ut pax diuturna, propagatio Eccleſiarum & Scholarum, & florens diuinis benedictionibus regnũ, uicinis æmulis inuidiam non leuem iniecerit: cum cætera regna luxuries, uicijs odijsq́ue ſuperbia ueteret: ita ut ea ob funeſtiſsima bella, & certamina ambitionum, uaſtationes, tyrannides, perſecutiones piorum, & ſeruitutes morte grauiores, acerbiſsimis doloribus, luctibus & mœroribus premerētur, & ruinam interitumq́ue minarentur.

Adde quòd uita Regi, ualetudinario quidē, ſed oranti, miraculoſe prorogata ſit. Cum enim ante annos aliquot, Lundæ Scanienſiũ, & poſtea ſępius Coldingę

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Cimbrorum oppido, lethali morbo corriperetur, nec in arte medica ullus eſſet præſidij locus reliquus, conſtat eum ſuis & ſuorum precibus immediatè à Deo uitam multorum annorum obtinuiſſe.

Quantum autem hic Rex alijs calcar ad ſimilia pietatis officia addiderit, quanquã ipſi uidetis, tamen à me in dicendo prætereundum non eſt.

Hoc enim ſic fieri ſolere accepimus, ut cum homo imitationem intelligat, & imitando diſcat, Regum probati mores facillimè multorum animos alliciant ad imitationem: maximeque eorum qui & honeſtatem amant, & in regno uiuunt, aut domeſtica & familiari regis fruuntur cõſuetudine, ut inquit Claudianus Stiliconem laudans:

Scilicet in uulgus manant exempla regentum:
Vtq́; ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Et Cicero ad Lentulum ſcribens: Sunt hæc, inquit, apud Platonẽ noſtrum ſcripta diuinitùs, quales in Repub. principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues.

Quare factum eſt, ut pio Regi, pium fuerit ſatellitium: ſtudio pietatis in uulgus optimis exemplis propagato.

Inciuile

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Inciuile enim uidebatur, miniſtrum ſtertere, aut aliud agere, Rege ſumma cũ attentione concionantem audiente: inciuile uidebatur, miniſtrum tacere, Rege canente: inciuile & impium iudicabatur, ſacram cœnam negligere, qua Rex uteretur ſæpiſsime.

Vidimus nobiles & aulicos cæteros, cõcionibus frequentes & attẽtos unà cũ Rege intereſſe: uidimus cum gaudio & admiratione milites ueteranos, non modò armis et rebus fortiter geſtis, ſed et pietate claros, alta uoce pſalmos exẽplo Regis canere: uidimus eoſdem, frequentiſſimo cœnæ Dominicæ uſu Regiam pietatem æmulari.

Ac ſolet mihi de his cogitanti, in mentem uenire illius temporis, quo Vuittebergę præceptorem noſtrũ clariſsimum, D. PHILIPPVM Melanthonem, ſæpius audiui ſtatum eccleſiarum noſtrarum, non ſine læta gratulatione prædicare: & ſocietati fideliũ comparare, quę tempore Chriſti, uerſantis in Palęſtina, ac docentis, fuit in Capernao.

Quia ut illic iucundiſsimus erat paſtoris Iairi, & Capitanei centurionis cum

Chriſto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Chriſto conſenſus: ita & in hoc Daniæ regno amœno, claruit hactenus ſumma Regis pietas, & erga ueram religionem, Eccleſias & Scholas amor intimus: proceres & præſtantiſsimi quique regem pacificum dilexerunt, & eius exemplo adducti, nihil ea beneficentia antiquius ducebant, qua ueræ religionis amorem ſummis charitatis officijs oſtenderent.

Doctores etiam uerbi, ſimplici ueritate contenti, utiliſsimam in Eccleſijs concordiam retinuerunt: & Regis autoritatem ueriti, nullas neque doctrinæ purioris corruptelas, neq; calumnias aut hyperbolas Illyrica pice infectas, unquam in uulgus ſpargere tentauerunt.

Quod ſi in multis Germaniæ locis, ſimili principum cura præcaueretur, non tantis conuiciorum plauſtris immeritò obruerentur præceptores optimi: nec tot dolendæ & pernicioſæ eccleſijs diſſenſiones, in ſumma impunitate mẽdaciorum excitarentur, à leuibus & petulãtibus ingenijs, quibus uſitatæ fraudes ſunt, panicis clamorib. rumuſculos ficticios ſpargere, & τερατολογίας καὶ θαύματα ῥημάτων quærere: ut ſummos ac clariſsimos uiros,

optimè

optimè de eccleſijs meritos, ſuſpicionib. prægauent, ſibi applauſus populares & eruditionis opinionem concilient, & rudiores in dubitationes aut errores perducant.

¶ Audiſtis quæ ſit diuina atque incredibilis pietas Regis, qua non modò eorũ hominum qui nunc ſunt gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam longè ſuperauit.

Reſtant uirtutes cęteræ, quas paulo antè commemorare cœperam, quæ magnæ & multæ ſunt. Non enim ſola pietas in ſummo Rege quærenda eſt, ſed multæ ſunt uirtutes eximiæ huius effectus, comitesque uirtutis: ſedulitas, ſtudium pacis, iuſticia, facilitas, liberalitas, fides in promiſsis, atque id genus præclaræ & heroicæ uirtutes. quas omnes enumerare, noſtri non eſt inſtituti.

Ac primùm quanta ſedulitate fuerit, tũ res eius præclarè geſtæ: tum etiam ſymbolum, quo admodum eſt delectatus, ſatis commonſtrat. Eſt enim oratio mentis character: & mos hic apud Magnates inoleuit, ut ſua quiſq; apophthegmata & ſymbolum habeat uocale.

Quemad-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Quemadmodum Iulius Cæſar in ore ſemper Græcos uerſus Euripidis de Phœniſsis habebat,

εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν· τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quod Cicero uertit in Officijs hoc pacto:

Nam ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

Antoninus Pius ſæpe dixiſſe fertur: Malo unum ciuem conſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Ab hoc adoptatus Antoninus Philoſophus, fertur in ore habuiſſe Platonis dictum: Tunc florent reſpub. quãdo uel philoſophus regit, uel rex philoſophatur. Sapientiſsimus rex Neapolitanus Alphonſus, ad effigiem pelecani, roſtro elicientis ex pectore ſanguinem, ad pullos fouendos, addidit inſcriptionem: Pro lege & pro grege. FRIDERICVS Auſtriacus, Maximiliani pater, aſsiduè dixit: Diſsimulare qui neſcit, imperare neſcit. Maximilianus hoc ſymbolum, temperantiæ & prudentiæ præcepto compoſitum habuit: Tene modum, & reſpice finem. Eius filius Philippus, pater Caroli, dicitur hoc ſymbolo oblectatus: Quicunque uolet. Carolus Quintus fre-

quenter

quenter ſymboli uice dixit: VLTERIVS.

Quorum quidem omnium grauiſsimum eſt, & modeſtiſsimum, Alphonſi dictum. At modeſtius, & cum maiori pietate, ſanctiſsimus Rex CHRISTIANVS III, duo ſymbola uſurpauit, & in multis locis etiam ad ædificia ornanda aſcribi curauit:

1 *Zů got mein troſt allein,*
Sunſt andern kein.

2 *Ach Got ſchaff dein willen.*

Sim licet innumeris hinc curis, inde periclis
Cinctus, at amplector te Deus alme fide.
Omnia tu ſolus, mihi tu ſolatia præſtas:
Cætera nil proſunt, nil peritura iuuant.

Cuncta meis cedant, quæ fert tua Chriſte uoluntas.
Vt tibi ſolliciti munera grata ferant.

Horum autem ut prius firmam regis in Deum fiduciam, ita poſterius ſedulitatem eius non uulgarem indicat: qua non modò ipſe recta facere nitebatur, & Deo placentia: ſed & pro officio ſuo urgebat ſtrenuè, & pijs uotis à Deo precabatur, ut in politia, eccleſijs & œconomijs, bona, ſalutaria, & Deo grata fierent ab omnib.

Decet

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Decet autē, ut ſymbolum illuſtriſsimæ eius Reginæ DOROTHEAE, Dominæ noſtræ clementiſsimæ, laude digniſsimum prioribus addatur. Ea enim, ut eſt eximia pietate, uirtute, gratia, ita hoc dicto utitur aſsiduè, & ſymboli loco habet:

Alles von Got:

A' Deo omnia.

Quæ uox quot & quantas uirtutes, omni pręconio maiores ei tribuat, ſingulis cogitandum relinquo.

Quanto præterea ſtudio pacis fuerit, apparet ex bello mox poſt electionem cōtra graſſatores quoſdam ſuſcepto: quod ea animi moderatione confecit, ut nihil aliud niſi pax quæſita uideretur. Nec ſe bellis ullis ab eo tempore implicuit, ſed idem ſenſit quod Martianus Imperator, cuius ſymbolum fuiſſe fertur: Quando in pace uiuere poſſumus, non eſt opus induere arma.

Nouit tot & tāta eſſe belli incōmoda, quot ſunt pacis commoda: nouit bella per ſeſe doctrinas & diſciplinam delere: maluit ergo in pace, eccleſijs, politijs & ſcholis conſulere, quàm bello ijs uaſtitatē

attrahere:

3082.

attrahere: maluit *εἰρηνόποιος*, quàm *πτολί-πορθος* & eſſe & appellari.

Hoc pacis amore adductus Rex ſapiẽtiſsimus, filio ſuo FRIDERICO Secundo, in regni ſucceſsionem legitimè electo, homagium à ſubditis præſtari uoluit, anno à nato Chriſto 1542: ut eſt in Diſticho, quod ſimul & ætatẽ Principis & annum Domini complectitur.

En ut rex Danis lectus FRIDERICE *uocaris,*
Non anni plures octo fuere tibi.

Vidit enim optimus patriæ pater, ea re concordiam firmari, & nouis motibus occaſiones denegari. Habuit ante oculos ſummorum regum exemplum, quo ſibi id faciendum, quod illi fecerunt, iudicauit. Meminit idem ab auo & patruo ſuo factitatum: meminit Dauidem, Valentinianum Primum, Theodoſium, Carolũ Magnum, Henricum Aucupem, eius filium Othonem primum, Fridericum Auſtriacum, alioſque nonnullos Reges & Imperatores, hoc pacto ſubditis non modò ſucceſſorem certum, ſed plerunq; etiam pacem & tranquillitatem, ab inteſtinis diſſenſionibus alienam reliquiſſe.

Non autem in pace diutina, inani & i-

d gnauo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

gnauo ocio deditus erat: ſed fuit reuera φιλήσυχος καὶ δραστήριος, quales fuiſſe Lacedæmonios ait Thucydides. Multa loca ædificijs ornauit, arces permultas ſuo ſumptu à fundamentis extrui fecit. In arce Haffnienſi bibliothecã nobiliſsimam inſtituit: & quoties per aduerſam ualetudinem non impediebatur, ſingulas regni oras adijt ipſe. Fouit eccleſias & ſcholas, ijsque reditus liberaliter attribuit: iuſticiam in diſciplina tuenda, & politica iuriſdictione exercuit diligentiſsimè.

Nihil enim turpius, aut ſe indignius iudicabat, quàm in numero eorum eſſe iudicum, qui (ut inquit Comicus noſter) ſæpe propter inuidiam adimunt diuiti, aut propter miſericordiam addunt pauperi.

Et quia eam eſſe laudem in animũ induxit maximam, quàm maximè ſeruire ſuorum commodis, remque ad ſalutem & dignitatem populi adminiſtrare: curã legum honeſtarum & utilium nõ modò non recuſauit, ſed etiam cum pleræque leges à Vualdemaro Secundo, ante annos 325 latæ, correctionem quandã poſtularent, propter circumſtantias perſo-

narum,

3082.

narum, negociorum & locorum hoc tem‑
pore à prioribus diuerſas: ipſe aliquoties
poſt ſuſceptam horum regnorum guber‑
nationem, ac præſertim ultimo uitæ &
regni mēſe, ſuas quaſdam leges poſitiuas,
non ſine conſenſu Senatus tulit, de cer‑
tis factorum & pœnarum circumſtantijs:
quæ cum iuſticiæ ſeruandę admodū pro‑
ſint, & legi diuinæ non repugnenr, ma‑
gni faciendæ ſunt: & partim propter au‑
toritatem regiam, partim propter proba‑
bilem honeſtatis & utilitatis rationem,
neceſſariò à ſubditis obſeruandæ.

Potiſsimum autem in ijs commemo‑
ratione dignum eſt decretum, graui con‑
ſilio recens editum, de noua periurij pœ‑
na, qua ſemel periurus, aut falſus teſtis,
non amplius ad præſtandū iuramentum,
uel teſtimonium dicendum admittitur:
ſed perpetua notatur infamia, & priuatus
bonis omnibus, duobus truncatur digi‑
tis, quos in altum erexit, cum Deum per‑
iurij teſtem inuocaret ac uindicem.

Voluit enim bonus princeps, hac pœ‑
næ ſeueritate frenare uulgatā in peieran‑
do leuitatem, ne quis temerè periurio ſeſe
polluat, niſi malit digitorū iacturā facere.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Facilitate inſuper tanta fuit, ut ei uerius quàm Pompeio Ciceronis illud conueniat: quòd ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum iniurijs fuerint, ut is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe uideatur.

Cęterùm quę fuerit Regis noſtri ſapiẽtia, multarum artium peritia, & memoria uerè diuina: quæ heroica & inuicta animi fortitudo in bellis gerendis, & ferendis uulgi erratis: quæ patientia in morbo annorũ octodecim, quæ clementia, quæ humanitas, quæ comitas, quæ munificentia in ſuos & peregrinos, maximè exules ob Euãgelij profeſsionẽ, qui amor ſtudioſorum, quæ deniq; in conſilijs Reipub. utilibus conſtantia, & in fœderibus ſeruandis fidelitas eius fuerit, omnibus non ſolum huius regni, ſed totius penè Europæ incolis notiſsimum eſt.

In hunc enim unum Regem, tanquam ueræ pietatis & omnium uirtutum exemplar præſtantiſsimum, omnium oculi cõiecti erant: hunc uelut eccleſiæ columen, miſerorum aſylum, regumq́ue omnium qui nunc ſunt decus præcipuum, uenerabantur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

rabantur omnes. Quare ſola earum uirtutum commemoratione contentus, perbreuem tantum ſeruati fœderis narrationem adijciam.

Cum enim anno Domini 1543 in Suecia ruſticus quidam, Nicolaus Tack, adiuncta ſibi Smalandiorum caterua, ſeditionem aduerſus regem Goſtauum moueret: CHRISTIANVM III, cuius potentia ſummo eũ timore affecit, miſsis nuncijs ſolicitabat, ut aliquantiſper hac re diſſimulata quieſceret, nec ullam confœderato ſocio opem ferret. hoc enim pacto regnum Sueciæ, cum magno plebis applauſu, ad ipſum ſuperato Goſtauo rediret. Verùm tam amplæ conditioni, quam alius fortè non recuſaſſet, longè prætulit princeps optimus religionem initi fœderis: & miſsis aliquot peditum cohortibus, & turmis equitum, Goſtauo ad anguſtias redacto, fidem in reprimenda ruſticorum ſeditione præſtitit, eosque imperata facere coegit.

Sed de uita eius dicendi finem faciam. Reſtat nunc fœlix & tranquillus ex hac uita exitus, qui cum rationem moriendi pijſsimam nobis exhibeat, minimè ſilen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

ctio eſt prætereundus.

Nihil enim Chriſtiano homini neque optabilius neque melius eſt, quàm ut ueram moriendi arte tempeſtiuè addiſcat, & in numero eorum inueniri poſsit, de quibus dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. In quam ſententiam preclarè cecinit Iohannes Stigelius, & uir & poeta optimus:

Hæc niſi ſit certæ uigilans meditatio mortis
Vita, Deo gratæ nil rationis habet.
Viuimus & morimur, metam aſpiramus ad unam:
Qui bene deſierit uiuere, uictor erit.
Ah quantum eſt didiciſſe mori: ſic tranſige uitam
O' homo, ut in Chriſti uiuere morte queas.

Mortuus eſt CHRISTIANVS Tertius, omnium, quantum eſt qui uiuant, Regũ rex honoratiſsimus, in uicinia Coldinge, Cimbricæ Cherſoneſi oppido, initio huius anni 1559, ipſis Calendis Ianuarij: anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto, climacterico octauo. Fuit enim totum uitæ eius curriculum 55 annorũ, quatuor menſium, & dierum uiginti.

Prodigia mortem eius anteceſſerunt uaria: inter quæ præcipui ſunt, gemini

terris

terris mutantes regna cometæ, qui uariꝰ
as populis principibusq́ue uices denota-
re ſolent: quorũ alter Anno Chriſti 1556,
ultra quinquaginta dies illuxit, ab initio
Martij ad uiceſimum diem Aprilis: alter
anno 1558, à ſexto die Auguſti per ui-
ginti dies apparuit.

His accedit admonitio angelica. Nam
eodem anno, die uiceſimo tertio Decem-
bris, decimo die ante obitum ſuum, per
quietem ab angelo Dei edoctus eſt CHRI-
STIANVS III, quòd cum anno nouo ua-
letudo eius aduerſa in meliorem innoua-
retur, & tunc uita longior ſequeretur. At-
que ab eo tempore ſe indies ad inſtantem
mortem, cuius iam præſcius erat, & ad
cœleſte domicilium pijs exercitijs prępa-
rauit.

Calendis Ianuarij, memor cõmonefa-
ctionis diuinę, ut itineri ſeſe in patriã cœ-
leſtẽ accingeret, primùm ſummo mane ſi-
bi prælegi uoluit locum Pauli ad Galatas
primo: Chriſtus dedit ſemetipſum ꝓ pec-
catis noſtris, ut eriperet nos de præſenti
ſeculo nequam, ſecundũ uoluntatẽ Dei,
& patris noſtri: cui gloria in ſecula ſecu-
lorum, Amen.

Deinde concionatorem ſuum M. Paulum Nouiomagum ad ſe uocari iubet: & remotis arbitris, ſolus cum eo per mediam horam in cõclaui colloquium habet. ubi piam & rege Chriſtiano dignam edit confeſsionem: & partim ipſe ſeſe promiſſionibus Euangelij conſolatur: partim etiam dignitatem & utilitatem miniſterij conſiderans, hũc miniſtrum magna cum læticia audit ſibi annunciantem remiſsionem peccatorum, iuſticiam & acceptationem ad uitam ęternam, gratis propter IESVM Chriſtum mediatorem fide apprehenſum.

Et poſtea ſub horam decimam, abſoluta concione M. Pauli de circumciſione Chriſti, & nomine IESV, ſacram corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti cœnam, in uberiorem fidei confirmationem ſibi adminiſtrari effecit.

Regina DOROTHEA, finitis in templo ſacris, lachrymabunda aduenit, & tacita ad lectum accedit. Tanto enim fletu & dolore grauabatur, ut nihil aliud agere, & ne quidem clauem à Rege oblatam accipere, neque diutius in eo loco commorari poſſet.

Interea

3082

Interea Rex uocatum ad ſe cancellarium utrunque, Iohannem Frijs, uirum prudentiſsimũ, optimè de his regnis meritum, unà cum Andrea Barbij, ſeria exhortatione & mandato graui alloquitur: hãc eſſe extremam ſuam uoluntatem, ut datæ fidei memores, FRIDERICVM Regẽ deſignatum, pijs & utilibus conſilijs in gubernatione adiuuẽt: & ipſi autores ſint ac hortatores, ut pacis amans, ſynceram Euangelij doctrinam, eccleſias, ſcholas, totius denique patriæ ſalutem, dignitatem & gloriam, paterno ac auito exẽplo tueatur & promoueat. haberent etiã miniſtrorum Regiorum rationem, ut labores eorum liberali ſtipendio recompenſentur, & gratiæ illis pro præſtita ſibi fidelitate & diligentia agantur.

Cum autem illuſtriſsimi liberi eius, Iohannes & Dorothea, qui tum ſoli præſentes aderant (FRIDERICVM enim in Selandia tempeſtas aduerſa detinuit, & Magnus ad Ducem Saxoniæ Auguſtum Electorem abierat) lachrymis ſuffuſi & eiulantes, materno iuſſu patrem adirent, & genibus ante lectum innixi, offenſę, ſi fortè ullam admiſerant, ueniã peterent: ipſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

dextra capitibus eorum impoſita, ſanctos patres imitatus, illis benedicit: orans ut in uera pietate, timore Dei, & amore uerbi diuini, honeſtè ac placidè uiuant, diuinis benedictionibus creſcant, & bonis omnibus affluant.

His digreſsis, Regina iterum adueniens, multis eum lachrymis alloquitur: & errata, ſi quibus animum eius unquam offenderat, condonari ſibi petit. Tum ille: Mea DOROTHEA, inquit, dulciſsima coniunx, ſis bono animo: nihil eſt iniuriarum: uita nobis, ita ut uolui, placida fuit: ſemper te amico eſſe animo erga me ſenſi, morigeram, obſequentem, bonam. Omnia ſunt condonata. Nunc me Deus ad cœleſtem patriam auocat: decet noſtra deſideria uoluntati diuinę ſubijci: & ſi unquam meam erga te experta es beneuolentiam, quæſo hanc mihi gratiam nunc pro illa des, ut luctum minuas. Me enim non amittis, ſed præmittis: & cum Deo ita uiſum fuerit, iterum mihi iungêris in uita æterna, in regno cœleſti, ibi eris ſocia læticiæ & fœlicitatis æternę. Hęc uita caduca eſt, breuis & calamitoſa: illa æterna & fœliciſsima. in hac præſens, illá animo abſens

abſens deſideres, illam ſperes, illam dies noctesque expectes, de illa cogites, illa te oblectes, ad illam in timore Dei te præpares. & dum inter homines uerſaris, te fidei fructibus exerceas: liberos qua decet pietate inſtituas: & maximè FRIDERICO noſtro ſalutaria cõſilia communices, eũque moneas ne nouis exactionibus ſuos ſubditos oneret, ſed Deum timeat, pacem amet.

Hęc uerba mutuus amplexus cõſequitur, quo ſibi inuicẽ tandem ualedixerũt.

Poſt Reginæ abitum, ipſe oratione ad aſtantes nobiles, medicos, & miniſtros cæteros conuerſa, ſingulis pro exhibitis in ſe officijs gratias agit, & dextera data ualedicit.

A' meridie quatuor horas, quibus adhuc uixit, pijs exercitijs tribuit: ſępius ardentiſsimis uotis Eccleſiá, ſeſe, ſuamq; poſteritatem & regna Deo commẽdauit.

Et quia inuictiſsimus heros, utut firmo fidei robore prędi tus erat, etiam tunc tentationibus ſpiritualibus non caruit: Pſalmis canẽdis ſeſe dedit, ut tela Diaboli ſcuto fidei excepta leuius ferret, & excuteret facilius.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Hoc enim pio canendi exercitio ſe antea, tam in proſpera quàm aduerſa ualetudine, recreatum, & ſummis doloribus liberatum meminit.

Ordine autem hos quinque Pſalmos Germanicos ipſe, ſpe uitę melioris lætus, cum miniſtris luctu & triſticia penè obrutis cecinit:

1. *Mit fried vnd freud ich fahr dahin.*
2. *Mitten wir im lebend ſind.*
3. *Nu laßt vns den leib begraben.*
4. *Nu bitten wir den heiligen geiſt.*
5. *Vuir gleuben all an einen Got.*

Sed quemadmodum à Simeonis cantico initium fecerat: ita etiam deſiderio inſtantis reſolutionis, & beatiſsimę cum Chriſto & cœleſti Eccleſia cōuerſationis, idem canticum altera uice cantari, & in eo canendi finem eſſe uoluit.

Miramur autem, & magis etiam miraremur, niſi plurimum temporis ab eo per omnem uitam Pſalmis & publicè & priuatim canendis tributum ſciremus: quòd Rex in extremo agone, iam animā agens, tantum memoria ualuerit, ut Pſalmorū meminerit: atque eorum Pſalmorū, quos

Lutherus

Lutherus ſub finem cantionum funebrium, eodem penè ordine, in funere & reditu à ſepultura piorum, ad noſtri conſolationem, & ſpem reſurrectionis corporum, canendos admonet.

Quis non miretur, hominem adhuc uiuentem, eos Pſalmos qui mortuis, imò & ſepultis uſitatè accinuntur, ſibi non ſecus ac mortuo, & ad ſepulturæ locum allato, cantari uoluiſſe?

Alius in eo morbo ſibi uitam longiorem fortè expectaſſet. At hic Rex pijſsimus, tam fuit certus de morte imminente, & reſurrectione carnis ſuæ, ut futura præteritis certiora habuerit.

Semel atque iterum omnes, quotquot in conclaui aderant, in genua procumbere iuſsit, & Deum pro ſe ardenter inuocare, ut ſpiritu diuino confirmatus, in firma re, ut ſpiritu diuino confirmatus, in firma & conſtanti fide, qua tum lætus beneficia Dei complectebatur, ad finem uſque perſeuerare poſſet.

Aſtabant & concionatores Regij, M. Paulus, & M. Andreas Martinus: qui per uices dicta Scripturæ cõſolationis pleniſſima repetebãt, & pręcipuè ea quę Iohan. tertio, & apud Eſaiã capite 53 inueniũtur.

Nec

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Nec ceſſauit ipſe, quin ſententias ſibi antea familiariſsimas, in memoriam reuocaret, & dulciſsima paraphraſi in ſui cōſolationem explicaret.

Ac tandem poſt quartam pomeridianā deficientibus paulatim uiribus, anima eius hoc mortali carcere placidè liberata eſt: & ex hac ærumnoſa uita, ad lętiſsimā Dei, caſtorum angelorum, piorū regum, & ſanctorum omnium societatē euocata eſt: quorum colloquijs & ſuauiſsima fruitur conſuetudine, nobis in hac ualle miſeriarum & luctu grauiſsimo relictis.

Nam, ut cæteros taceam, patruelis eius Chriſtianus Secundus rex captiuus, qui uiuum dilexerat unicè, à quo ſemper humaniſsimè tractabatur, tanto dolore ob mortem eius affectus dicitur, ut intra paucos dies mœrore ſubitò extinctus ſit, annum agens ſeptuageſimum ſeptimum, climactericum undecimum.

Corpus autem CHRISTIANI III, Othoniæ in æde S. Canuti, honorificè, ut decuit, ſepultum eſt: 13 die Februarij, hoc anno 1559.

In pompa funebri, præter DOROTHEAM Reginam, eiusq́ue liberos, FRIDERI-

3082

CVM regem, Iohannem & Dorotheam, & nobilium comitatũ haud exiguum, aderant (ut meminiſtis) fratres Regij, illuſtriſsimi Duces Holſatiæ, &c. IOHANNES & ADOLPHVS: qui luctu maximo στοργὴν ſuam erga defunctum fratrem declararunt, quem hactenus intimo amore & reuerentia ſumma proſecuti ſunt.

Tanta etiam familiaritate, & uera beneuolentia cum filio eius FRIDERICO rege deſignato, poſtea aliquandiu ſunt conuerſati, ut idem uellent, & idem nollent: & omnibus certam ſpem facerent, diuturnam fore inter eos amicitiã, qua nihil his terris melius accidere poteſt.

Habetis breuiter, Auditores, quæ hoc tempore de CHRISTIANO III, pię memoriæ, Daniæ & Noruegiæ rege illuſtriſsimo, dicere uolui: cuius opera in bello, in ocio, in negocio, ſuo quiſq; tempore uſus eſt, non ſine læticia & utilitate maxima.

Veſtrum eſt, perpetuam uirtutum & beneficiorum eius memoriam in animis retinere, uitæque & mortis exempla pro modulo & uocatione ueſtra imitari: & Deo gratias agere, quòd tam ſalutarem principem, Chriſti glorię & ſalutis patrię

aman-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

amantiſsimũ, tot annos nobis cõceſſerit.

Cum autem bonorum principum interitus, plerunque inſignes rerum mutationes & miſerandæ confuſiones ſecutæ ſint: neceſſarium nobis eſt, ut agamus pœnitentiam, & Deo nos toto pectore commendemus.

Te igitur Omnipotens, æterne, uiue, & uere Deus, æterne & unice pater Domini noſtri IESV CHRISTI, creator cœli & terræ, angelorum & hominum, & aliarum creaturarum omniũ, unà cum filio tuo coęterno Domino noſtro IESV CHRISTO, crucifixo pro nobis, & reſuſcitato: et Spiritu ſancto tuo, uiuo, ueraci et caſto, ueris gemitibus inuocamus, & pectore toto confitemur, nos eſſe miſeros peccatores: ac uerè dolemus nos horribiliter peccatis quamplurimis te offendiſſe, & pœnas commeruiſſe, & iram tuam metuimus: ac ſupplices oramus te, ut in ira tua miſericordiæ recorderis: non abijcias nos ad te confugientes, quanquã ſumus miſeri, ſpreti, infirmi, uarijs ſordibus fędati, ἐξουθενημένοι, & prorſus deformia ἐκτρώματα, ut Paulus de ſe loquitur: ſed remittas nobis omnia peccata noſtra, nos iuſtifices

& ſalues,

3082

& ſalues, per & propter filium tuum, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, quē uoluiſti pro nobis eſſe uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην: nos ſanctifices & clementer gubernes Spiritu ſancto tuo, tribuas pacem in diebus noſtris, mitiges pœnas publicas & priuatas, imminentia pericula ac motus bellicos pro tua bonitate auertas: Eccleſias, Scholas, & politias in his regnis, propter tuam gloriam conſerues: & Illuſtriſsimo principi ac regi noſtro FRIDERICO ſummus conſiliarius adeſſe digneris, eiusq́ue gubernationem ita fortunare, ut ipſe paternis uirtutibus ornatus, religionem, iuſticiam, honeſta doctrinæ ſtudia, diſciplinam & pacem publicam promoueat: tibiq́ue æterno Deo, in his regionibus uera Eccleſia uoce miniſterij colligatur, & tua ope aduerſus omnium diabolorum, tyrannorum, ſophiſtarum & fanaticorum hominum furores defendatur, hoſpitia mediocria habeat, & tuta ad uitam æternam perducatur.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

LECTORI S.

Hunc Regi extremum grati teſtamur amorem:
Triſtia ſunt, tempus qualia triſte decent.
Rege licet tanto non noſtra eſt digna Thalia,
Ille tamen dignus qui caneretur erat.
Et plorare iuuat, iuuat exatiare dolorem:
Et pius eſt patriæ geſta referre labor.
Vera nimis canimus, nimium ſed paupere uena:
Pauper & in lucem Muſa uenire timet.
Scribere qui iuſsit, quiq́; impulit, edidit idem:
Cuius ego è multis unus alumnus eram.
Et ſumus hæc, fateor, nimium iuueniliter auſi:
Candide tu Lector conſule cuncta boni.
Et rude ſi lectu dignabere (ſi modò) carmen,
Des ueniam: in magnis ſi uoluiſſe ſat eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082

EPICEDION
DE INCLYTO ET SERENISSIMO REGE CHRISTIANO III, Rege Daniæ & Noruegiæ, &c.

Scriptũ & recitatum in ſchola Ripenſi, A' PETRO HEGELIO Ripenſi.

Exul in his uariè lacerata Eccleſia terris,
Dum procul à patria cogitur eſſe ſua:
Hoſtibus obruitur uarijs, & mille periclis:
Hei quòd & in matrem uiſcera ſæua ruunt.
Te pie Chriſte ſuum ſequitur ſponſumq; ducemq;,
Impoſitamq; trahit ſponſa tenella crucem.
Aſt illi ne fracta labat ſub pondere ceruix,
Vnicus Emanuel Chriſte benigne caues.
Tu medios inter rictus dentesq; luporum,
Qui in ſponſam pandunt guttura ſæua tuam,
Exiguum ſaluasq; tibi, ſeruasq; popellum,
Quem plus quàm ſponſus diligis, audis, amas.
Et licet haud regitur noſtris Eccleſia curis,
Nec ſtudijs hominum tutior eſſe poteſt:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Vis tamen afflictæ requiem, uis eſſe leuamen,
Hoſpitiumq́ gregi uis ſupereſſe tuo.
Ergo ſubinde pius promiſſos mittis alumnos,
Quiq́ tuas faciant optime Chriſte uices.
Talis hic Arctois fuerat Rex inclytus oris,
Hic cui de Chriſti nomine nomen erat.
Hoc quum Daniacas tenuit Rex nomine terras
TERTIVS, ut ſtabant omnia flore ſuo:
Vt benè Chriſtiadum nomen curamq́ gerebat,
Quàm fuit huic ueræ cor pietatis amans.
Sed nos ô miſeros, quum terras ille reliquit,
Hei dolor, heu fati uis truculenta nimis.
O` utinam placidæ compleſſet ſtamina uitæ,
Dania quàm tanto Rege beata foret.
Sed neq́ nos digni fuimus, quos tanta manerent
Commoda, non illud crimina noſtra ſinunt.
Illi etiam potiore loco, potius quoq́ regnum,
Et melior cœlis uita parata fuit.
Hāc habet, hac fruitur: cœpit modò uiuere primū,
Nunc æui carpens aurea ſæcla noui.
Sed tamen ereptum gemimus, terrisq́ negatum,
Sic etiam gratos nos decet eſſe Deo.
O` te quàm meritò toties ſuſpiria uerſant
Dania, te quoties Regis imago ſubit.
Quin plangis? tanto quis enim modus eſſe dolori
Poſſet? ubi uideas occubuiſſe patrem?

Ille

3082

Ille fuit patriæ pariter princepsq́; paterq́;:
Tamq́; fuit pacis, quàm pietatis amans.
Luget adhuc Regina ſuo uiduata marito,
Et dulcem lugent pignora quinq; patrem.
Ipſe patrem uellet uiuum coramq́; tueri,
Qui ſceptrũ & ſolium iam Fridericus habet.
Ereptumq́; gemunt proceres, regniq́; Senatus,
Auxilij dempto conſilijq́; duce.
Hunc mœſti plangunt ciues, hunc durus arator:
Hunc deflent iuuenes, hunc pia turba ſenum.
Extinctumq́; dolent pueri: doleantq́; nepotes,
Et queis tantillum uel rationis erit.
Vos etiam Muſæ, quas ille reduxit ab Orco,
Flebitis: hic uobis dulce leuamen erat.
Fouit is eiectas, regniq́; in parte locauit,
Nunc adeò ueſtri quis uenerator erit?
Iam plorate ſcholæ, iam Muſis dedita turba:
Occidit, heu, ueſtri portus & aura chori.
Nos plorare decet, nos flendo referre dolorem:
Cogimur ante alios nos ea fata queri.
Sed nequeunt ipſum noſtri reuocare dolores,
Reddere nec uitam mœſta querela poteſt.
Extremum hunc igitur Regi præſtemus honorem,
Hic quoq; defuncto ſit renouandus amor:
Vt quia iam uiuum uenerari fata negârint,
Defleat amiſſum patria terra patrem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Multa canenda foret huic carmina, multa meretur
Cùm pietatis honos, tum probitatis amor.
O` utinam tantæ fuerint in carmine uires,
Quàm mihi ſat Regis dicere geſta foret.
Sed uix id docti faceret uel Muſa Maronis,
Et tua uix Naſo, Muſa nec Heſſe tua.
Mæonidis tantum tua nomina digna cothurno,
Muſa cui Graios indidit ore ſonos.
Sublimis cecinit qui bella Deûmq; ducumq;
Cuius inexhauſto flumine lingua ſcatet.
Quid tamen? an paucis non dicere multa iuuabit?
Num curet triſtes Calliopea modos?
An quia blandiſonum mihi carmē Muſa negauit,
Cum patria triſti ſit graue, flere, nefas?
Pauca quidem è multis dicturi, flebimus ultro:
Communis prohibet cuncta referre dolor.
Tu breuiter, uitæ qui curſus, quiq; labores,
Quàm placidè extremum clauſerit inde diem:
Suggere Muſa mihi: me ſuffice Chriſte labori,
Dum longum timidè Muſula reptat iter.
Inclyte Rex ſalue, uirtute inſignis & armis,
Cui nunquām uidit Danica terra parem.
O` præclara dies, alboq; notanda lapillo,
Cuius luce recens editus, uſus eras.
Vtq; nouem dederat Sextilis in ordine ſoles,
Atq; duos: gremio te tua mater habet.

Aegra

Ægra licet, gaudet: quin prolis amore uirilis,
  Applicat ad pectus pectora parua ſuum.
Atq; Deo grates pro tali prole ferebat:
  Et, quod paſſa fuit, negligit omne mali.
Quamq; poteſt, uotis tibi proſpera cuncta precatur,
  Et Chriſto grates officioſa dedit.
Nos etiam, cunas & cætera munia uitæ
  Dum canimus, noſtras accipe Chriſte preces.
Namq; tibi meritò debetur gratia ſoli,
  Qui puerum dederas hunc ſupereſſe diu,
Et Regem fieri, patriæq; leuare ruinas,
  Ac patrium molli pace beare ſolum.
Ergo tibi laudes maneant: quod præſtitit ille,
  Acceptum ferimus Chriſte benigne tibi.
Iamq; igitur puer auſpicijs fœlicibus ortus,
  Carpebat uitæ ſemina prima ſuæ,
Nomine auum referens: & auus de nomine Chriſti
  Dictus erat Primus, Tertius ille fuit.
Sæpe puer riſu lactantem noſcere matrem,
  Blanditias potuit ſæpe mouere patri.
Nam foret amborũ decus & laus magna parẽtũ,
  Sanguine quantumuis clarus uterq; fuit.
Mater erat celebris generoſi neptis Achillẽ,
  Sed non Theſſalici Myrmidonumq; ducis:
Aſt tua Teutonicas celebrate Alberte per oras,
  Qui benè Teutonici nomen Achillis habes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Ille pater, Primus Friderici nomine, ſceptrum
Daniaci ſumpſit ſuſtinuitq́ ſoli.
Hunc ultrò regni proceres ad ſceptra uocârunt,
Dum uicibus gaudet Dania tota nouis.
Huic pater ille fuit Veteri Comes inclytus arce,
Sceptraq́ Chriſtiadum Primus is ipſe tulit.
Siq́ retrò primam repetas ab origine ſtirpem,
De ueteri regum ſtemmate ſtemma trahit.
Rex qui Saxonicas tenuit fortiſsimus oras,
Nobile tum nomen cui Vuidechindus erat:
Sanguinis hic autor. tot ſunt puer ô tibi Reges,
Rex patruelis, auus, Rex patruusq́, pater.
His igitur fueras Rex ipſe parentibus ortus,
Inde trahit ſemen mens generoſa ſuum.
Ipſa etenim patrum uirtus in prole refulget,
Et dat congenitis ſemina magna bonis.
Ergò tibi puero fuit hæc pia cura parentis,
Cuſtodes uitæ iunxerat atq́ duces.
Ante alios ea cura tibi Volfgange relicta eſt,
Aetati teneræ cruſtula prima dares.
Tu uelut alter eras Chiron, quem fortis Achilles
Ductorem uitæ pertulit eſſe ſuæ.
Formabas aptis puerilia pectora uerbis,
Dum fuit huic ætas mollis & apta regi.
Et nil paſſus eras dociles quod læderet aures,
Ingenua quæ non indole digna forent.

Te duce Phœbæas ultrò perceperat artes,
 Acrior in ſtudijs te monitore fuit.
Donec honorificæ tractus uirtutis amore,
 Optima per ſeſe noſceret ipſe ſequi.

Hinc nec adhuc iuuenis, cũ uix tria luſtra teneret,
 Inuiſit terram Marchio clare tuam:
Hic ubi degebas animo uenerandus & annis,
 Imperij magnum dux Ioächime decus.
Qui cùm nominibus fueras generoſus auitis,
 Ingenijq; ualens eloquijq; bonis,
Ad te penè puer teneris perrexit ab annis,
 Deliciæq; patris, deliciæq; tuæ.
Hunc etiã uenerãde ſenex (quòd auunculus eſſes)
 Formabas animi dexteritate tui.
Ipſe tua cunctos morum grauitate præibas,
 Hac aula proles Regia digna fuit.
Ex te uirtutem didicit, uerosq; labores,
 Et morum ſpecimen tuq; paterq; dabas.
Tunc etiam, ceu manè rubens cum lucifer exit,
 Atq; procul rutilans monſtrat adeſſe diem:
Sic quoq; de tenebris ſacri lux aurea uerbi
 Exoriens, ſenſim ſparſit in orbe iubar.
O` præclare puer, ſimul his uerſatus in oris,
 Clarior es uerbi luce nitente Dei.
Hoc uerbum tibi lux fuerat, pedibusq; lucerna,
 Et dux, & uitæ regula certa tuæ.

Iam tibi cor fuerat iuuenili in corpore canum,
Iam pueri ingenium turba ſenilis amat.
Et plus quàm reliquis, tibi fauit auunculus uni,
Indolis ingenuæ tractus amore tuæ.
Tu comes & ſocius multo iunctiſsimus uſu,
Pectoribusq́ dedit multa tegenda tuis.
Iamq́ aderat tempus, cum Carole Quinte uocares
Imperij proceres, Teutonicosq́ duces:
Qui tum Vuormaciæ dubias diſcernere cauſas
Deberent, etiam docte Luthere tuam.
O` utinam ſtricto nollent decernere ferro,
Qui tibi plus nimio Papa maligne fauent.
Tunc etiam præſens aderas Ioachime uocatus,
Imperij Septem gloria magna uirûm.
Et tua ſigna ſequens iuuenis comparuit heros,
Tunc annis inſtans poſt tria luſtra tribus.
Te coluit, uenitq́ lubens quocunq́ uocares,
Non multum lateri uellet abeſſe tuo.
Et licet hunc ætas rebus prohibebat agendis,
Quæ grauibus cauſis non ſatis apta fuit:
Quod tamen huic licuit, quodq́ hũc feciſſe decebat,
Indolis excelſæ ſigna probanda dedit.
Prodidit is coràm ſibi quæ doctrina placeret,
Hanc ueluti furtim quam prius addidicit.
Hic meminiſſe iuuat pulchrũ et memorabile factũ,
Quod puto nequicquam prætériſſe decet.
Fortè

Fortè aliquis media ſuggeſtum aſcenaerat aula,
  De grege quos Fratres credula turba uocat.
Quis fuerit, ſatis eſt: Epicuri de grege porcus
  Vnus erat, frater proximus ipſe ſibi.
Quæ fuit huic ueſtis talos æquauerat imos,
  Aptandus capiti terga cucullus habet.
Cinxerat & tumidum funis de cannabe uentrem,
  Quæ plantas nudi fluxit ad uſq; pedis.
Iamq; palàm tibi uerba daret ter maxime Cæſar,
  Concilioq; tuo, principibusq; tuis:
Toruus, acerba uidens, nimis imperioſa ſonabat,
  Iam cœpit querulus fanda nefanda loqui.
Sæpe tamen gracili ſermonem murmure duxit,
  Vt uix aſtanti uerba notanda forent.
Sæpius at clamat, trepidârunt cardine poſtes
  Ad uocem, & pariter ingemuere fores.
Et nunc explicitis tundebat pectora palmis,
  Nunc uelut attonitus uerbera nulla dabat.
Iam manibus prenſare manus, iã brachia pandit,
  Sicut in amplexus adforet ulla ſuos.
Intereà leuiter ridet, mox triſte minatur,
  Viſa fuit pingues gutta rigare genas.
Addidit & lacrymis nutus, ciliumq; mouebat,
  Annuit & renuit, uult, iterumq; negat.
Iam ſine crine caput lachrymans in pectora miſit,
  Nequitiæ raſo uertice ſigna gerens.

Mox

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Mox benè compoſitas tendebat ad æthera palmas,
Et citò demiſſa ſtabat utraq; manu.
Quid, ſtabat, dixi? ſinuato poplite, corpus
Circumagens, ſimulat dicere uelle preces.
Iam denuò exurgens, huc ora ferebat, & illuc,
Et putat hos geſtus ſat decuiſſe ſibi.
Interea Monachus dum tanta in mole laborat,
Ac libertatis neſcit habere modum:
Non deerant, tanto nugas molimine dictas
Has ueræ ſtatuant qui pietatis iter.
At iuuenis Princeps, nil turgida uerba moratus,
Mirator ſolum, non uenerator erat.
Aſpicit obſeruans geſtus, & uultibus hæret:
Ille furens bilem commouet, atq; iocos.
Fors tulerat, Monachus dum nullo fine perorat,
Dum tu mime leuis flectis utrumq; genu,
Per rimã (qua ſtructa recens ſug geſta fatiſcunt)
Demiſſa eſt funis quæ tibi Zona fuit.
Huc ſubiens princeps, paribus tua cingula nodis,
Illigat in ſpiris irreſolubilibus.
Et quantum potuit manibus contingere, tantum
Sub tabulis nexum pugio fixus habet.
Haudq; diu latuere doli: dum ſurgere tentat,
Non liber potuit membra leuare loco.
Ter connixus erat rectos attollere uultus,
Ter fruſtra genibus penè relapſus erat.

Et

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Et citò laſſatus tandem retinacula ſentit,
   Inſidensq́; genu talia uerba dedit.
Cui de me tantum licuit? non ora ueretur
   Cæſaris? aut templum? magnificosúe Duces?
Hei non tuta fides, ſunt omnia plena Lutheri:
   Quid faciant aliàs, hîc neq; tuta fides?
Eia agè mi Cæſar propius res aſpice noſtras:
   Vim patior Cæſar, quid non adeſſe uelis?
Sic memorat: Cæſar, Cæſar, templũ omne ſonabat,
   At citius fratrum cætera turba uenit.
Talibus intonuit dictis, ſimul aggerat iras:
   Autorem diris deuouet, atq; minis.
Principibus primùm res hæc miranda uidetur,
   Sedibus emota eſt tota corona ſuis.
Ipſe adeò Cæſar factum diſquirere iuſſit,
   Quis caput occultæ ſeditionis erat.
At princeps heros placidum caput extulit ultrò,
   Non facie trepidi ſigna timoris erant:
En autor facti, dixit, quem quæritis adſum,
   Haud inſons aliquis nunc mea facta luat.
Aduenit, et factũ tibi auuncule Marchio narrat:
   Nec mora, tu reliquis ordine geſta refers.
Grata fuit cunctis tua mens, & uiuida uirtus:
   Sed monachis ſolum non placuiſſe potes.
Ex illo princeps es Chriſti nomine dignus,
   Attulit iſte tuus ſeria multa iocus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Hæc magnis non magna tuis præludia geſtis
Præmittens, fœlix nomine req́ manes.
Hæc tua Vangiones ſpectârunt geſta frequentes,
Hæc etiam Danos non latuiſſe decet.
His tandem miſſis, maiora ad cœpta feramur,
Auxilium porrò Chriſte benigne dabis.
Cum tuus hic princeps iamdum uernantibus annis,
Exſula patrios uiſeret inde lares:
Holſaticisq́ patrem lætus conuenit in oris,
Et reducem gaudet patria terra Ducem:
Horrida ſed nimiũ (mage quid miſerabile dictu?)
Cimmerijs tenebris Cimbrica terra fuit.
Obruta diuini iacuit ſcintillula uerbi,
Per cineres meriti ſemiſepulta Fides.
At pius hic heros maiori luce coruſcans,
Nos cæca merſos nocte miſertus erat.
Hic primus placidis genitorem uocibus orat,
Paulatimq́ animos in ſua uota trahit.
Eripuitq́ patrem tenebris, noctiq́ profundæ,
Per Stygios fumos, Pontificumq́ dolos:
Vt pius Aeneas patrem flammã inter & hoſtes,
Aſcaniumq́ ſuum, relliquiasq́ tulit:
Aut uelut Amphion Aetnæis ignibus, alta
Ceruice impoſitum ſuſtulit ipſe patrem.
Hos iuuenis ſanctos potuit cœpiſſe labores,
Nec cœptum finit cana ſenecta pium.

Poſt,

3082

Pòſt, ubi Fridricum proceres in regna reponunt
Danica, dantq́ tuo ſceptra gerenda patri:
Ecce nouis ſceptris ſunt qui parêre recuſent,
Pars ferro fuerat, pars ſubigenda fame.
Difficiles animos generoſo Marte retundis,
Haffnia mox perfert obſidione famem:
Victorem donec decimo te menſe recepit,
Sic edocta geri cuncta uolente Deo.
Non tibi mens fuerat quicquam deperdere bello:
Principe res, uictis parcere, digna fuit.
Hactenus electus, iam plenè ſceptra gerebat
Ille tuus uerè mente animoq́ pater.
Is regno potitur: tu ſedes deinde reuiſis,
Quas tibi conceſſit iure paternus amor:
Imponis quoq́ iura locis, & legibus ornas,
Saluifici uerbi maxima cura fuit.
His ſtudijs uox ſancta Dei crebreſcere cœpit,
Et pulſis nebulis redditur alma dies.
Slauus Iohannes, uir noſtro maximus æuo,
Qui præſul Ripis poſtea factus erat:
Te duce firmatus, fœlici ſpargere dextra
Holſaticis cœpit ſemina ſancta iugis.
Hæc quoq́ fax uerbi multa cum luce cucurrit,
Et per continuas labitur illa domos.
Par etiam cano Verbi ſtat cura parenti,
Te monitore ſenex dogmata pura colit.

Hos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Hoc opus ambobus, labor iſte fatigat utrunq;
Queîs uerbum poſſent reſtituiſſe modis.
Ambo ſuos placida populos iam pace regebant,
Ambobus requies parta labore fuit.
Iam tibi cura ſubit ſociam coniungere uitæ,
Nam magis arriſit connubialis amor.
Saxonis in thalamos uenit Theodora iugales,
Heroina thorum digna ſubire tuum.
Et uos corporibus bini, ſed mentibus unus,
Vidiſtis ſocij pignora quinq; tori.
Fœminea primùm felices prole parentes,
Filiolam uobis pronuba Iuno dedit.
Anna fuit, teneris quamuis innubilis annis,
Attamen à multis eſt adamata procis.
Hanc petit Auguſtus Saxo, ducitq́; petitam,
Teutoniæ Septem gloria prima uirûm.
Altera deîn ſoboles, ſtirpis ſpes grata uirilis
Naſcitur, & clari nomina ſeruat aui.
Te Friderice puto, ſoboles hoc digna parente,
Viue, uale, & regnis ſis decus oro tuis.
Interea placidæ uiguerunt commoda pacis,
Inq́; ſuos ſtatus cuncta reducta forent.
Iam patre longæuo, iam uitæ flore uirentis:
Coniugio, ac una prole beatus eras.
Ecce repentè grauem (ceu ſunt mortalia) caſum,
Occubuit fatis Rexq́; paterq́; tuus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Eripuit nobis Regem, prò maxima clades:
   Eripuitq; tibi Parca ſeuera patrem.
Hei mihi, quot clades dedit hæc lux unica mortis,
   Clades quæ ſummi cauſa doloris erant.
Rex fato ſublatus erat, terrasq; reliquit,
   Et meliora pijs cœlica regna tenet.
Sed, prò, nullus erat quē ſceptra capeſſere uellent,
   Quemq; penes regni frena relicta forent.
Libera (ne rogites) habet hoc nam Dania iuris,
   Eligat ut Regem quem ſibi cunq; uelit.
At regni proceres, quo quiſq; ualentior eſſet,
   Quod ſibi defendant, quod tueantur habent.
Et nec firma ſatis iunxit concordia mentes,
   Atq; minus ualuit ſic malè ſecta manus.
Et dum nequicquam rerum moderamina tentant,
   Et plus quàm poſſint ſe potuiſſe putent:
En uelut obſcuro quondam Polyphemus in antro
   Errauit, uaſto luminis orbe carens:
Aut uelut auulſo capite & ceruice reciſa,
   Mole ſua propria corpus inane ruit:
Haud aliter regni corpus ſine lumine palpat,
   Et ceu truncus iners nil rationis habet.
Quin potius rerum ſummam committitis uni,
   Qui retinere ſimul, qui dare frena ſciat?
Quis uindex patriæ? caput obiectare periclis
   Quis uolet? & quis opem ferre paratus erit?

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Quos nunquã ueriti fuimus, iam bella mouebunt,
  Quis uolet infeſtas abſtinuiſſe manus?
Chriſtophorus ueteris Comes Aldenburgius arcis,
  Huic orbæ patriæ bella citurus adeſt.
Addit ſe ſocium Textor, Marcusq́; Meirus,
  Ciuibus emiſſis arma Lubeca mouet.
O' furor, ô nimium regnandi dira cupido,
  O nimis Imperij prodigioſus amor.
Sed nos quo miſeros turpis diſcordia traxit?
  Hæc, ô hæc patriæ triſtis Erinnys erat.
Quàm ſatius fuerat primam extinxiſſe fauillam?
  Ex multis uni ſceptra dediſſe uiro?
Aſt hæc pœna fuit peccatis debita noſtris,
  Neglecti Verbi pœna luenda uenit.
Vndiq; ceu pleno lupus inſidiatur ouili,
  Sic ope nudatos hoſtica turba premit.
Attentant primò Holſatiã, quã fraude ſubintrant,
  Et ferus & pariter ſubdolus hoſpes erat.
Hoſpes is hoſtis erat: nam nec fecialibus ultrò
  Miſſis, obiectos depopulatur agros.
Regius at iuuenis, uim ui depellere tentat,
  Moxq́; arma arma ciens obuius ire parat.
Congreditur, fit pugna, feroxq́; repellitur hoſtis,
  Cogitur & turpi uertere terga fugæ.
Selandasq́; Comes fugitans adnauigat oras,
  Hic ſubit Haffniacos fraude latente lares.

Iamq́;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Iamq́; Megalburgæ princeps ſocia arma ferebat
　Albertus, facili promptus ad arma manu.
Cimbrica nec regio, quæ rege carebat adempto,
　Quam prope coniunctis Nereus ambit aquis:
Non fuit inſidijs expers, non tuta periclis,
　Hæc etiam regno non toleranda tulit.
Sæuus & infeſto populator remige Clemens,
　Hic etiam patriæ plurima damna dedit.
Vrbibus ac aulis peſtis miſeranda, luesq́;,
　Ac prædis inhians nil niſi raptor erat.
Infandisq́; malis acer terraq́; mariq́;
　Multorum dites diripiebat opes.
Dum ſic arma fremunt, leges & iura ſilebant,
　Extorrisq́; diu paxq́; fidesq́; fuit.
Tantæ cladis erat, gentem ſine Rege relinqui:
　Conſtitit id tanti, tot ſimul eſſe Duces.
Iamdudum res ipſa monet, moderamina rerum
　Principis unius corripienda manu.
Qui pacem reddat terris, qui Marte ſuperbos
　Contundat uictor, qui dare iura uolet.
Tu iuuenis Princeps, Chriſti de nomine dictus,
　Ante omnes ſolus tu placuiſſe potes.
Nam tibi conueniens lucet cum nomine uirtus,
　Et gemina clarus nobilitate micas.
Ergò te reuocant (namq́; obſidione Lubecam
　Cinxiſti, promptam bella mouere dolis)

Iam proceres regni tua mœſti caſtra ſubintrant,
Iam tibi præſenti talia uerba ferunt:
Conſcius es Princeps animo gratiſsime noſtro,
Quot iam uexetur Danica terra malis.
Ex quo rex noſter Fridericus ad aſtra uocatus,
Ille tibi genitor, huic patriæ ille pater:
Dum nos ſpe citius regnans moriensq́; reliquit,
Deflet adhuc tantum Dania tota uirum.
Et nunc porrò uides quæ nos fortuna fatiget,
Hoſtis habet patriam, uaſtat & urit ouans.
At tu ſollicitis utinam ſuccurrere uelles,
Et ſineres noſtras pondus habere preces.
In te ſpes regni iacet inclinata labantis,
Vno omnes regem te ſimul ore petunt.
Incorrupta placet tua uita, & Danica uirtus,
In te quæ fulget cum pietate pari.
Regia ſupplicibus res eſt ſuccurrere: prompti
Nunc animi, princeps, da monumenta tui.
En quot nunc hoſtes regnum ſine iure laceſſunt,
Hos contra auxilijs uelle iuuare decet.
Quicquid obeſt, facili (te nouimus) enſe retundas,
Ipſe tibi clypeus Chriſtus, & auctor erit.
Deijce bellandi cupidos, rege pacis amantes:
His hoſtis uenias, his ueniasq́; pater.
Scis quòd regna Deus transfert, mutatq́; uiciſsim:
Crede, Deus noſtra parte futurus erit.

Et uictor ſceptro, ſolioq́; fruaris auito,
    Huc tua te uirtus, huc pia fata uocant.
Eripe, namq; potes : quid enim non auſpice Chriſto
    Poſſes? regna nouis eripe merſa malis.
Finierant: tacitus medijs tunc ille receſsit,
    Deniq; ſic uerbis hos reſecutus erat.
Quas ego pollicitis ueſtris, quas reddere grates
    Poſſem? ſed dicam quod mihi mente ſedet:
Non me quippe parem tanto reor eſſe labori:
    Nec dignum, tantus cui tribuatur honos.
Me pater Holſaticæ ditioni inuexit habendæ:
    Hac ego contentus ſorte, quietus ero.
Sat mihi ſit famæ: ſed qui mihi bella mouebant,
    Hîc hoſtes meditor perdomuiße meos.
Dixit: at illi inſtant, iterumq́; iterumq́; monentes,
    Succurrat preſsis, ſic agitante Deo.
Deſerat hanc urbem, nunc ad maiora uocatus,
    Huc ubi plus famæ, plus pietatis erit.
Ille diu partes animum uoluebat in omnes,
    Nec citò reſponſum uictus honore dedit.
Deniq; tot precibus, regniq́; labore coactus,
    Hæc reſponſa magis grata locutus erat.
Sic utinam cunctis floreret Dania rebus,
    Frothonis ueluti tempore læta fuit.
Non equidem inuideam: ſed iam ſic numine cerno
    Cuncta geri, fauſtum numen id eſſe precor.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Non igitur patiar ſpes ut foueatis inanes,
Quippe ſatis fuſum ſanguinis eſſe puto.
Hoc teſtor, non hos animus ſitiebat honores:
Sed uincat pietas, uincat honeſtus amor.
Aduena nequicquam cumularit funera miles,
Quiſquis erit Clemens, quiſquis & ille Comes.
Perſequar, atq; Deo duce ueſtros adſequar hoſtes,
Forſitan & uideant quid mea dextra ualet.
Dux ego ueſter ero, dux & ſpes ſit mihi Chriſtus:
Hic ſcopus, hic noſtri meta laboris erit.
Interea pacem uenit exorare Lubeca,
Milite tum cæſo, tum quoq; uicta fame.
Fœdere ſed facto, uexatam deſerit urbem,
Atq; celer greſſus dirigit inde ſuos.
Multa mouens ſecum generoſas concipit iras,
Iam Deus hunc alium fecerat eſſe uirum.
Nunc animis opus eſt, uel in ipſo limine regni
Mars tentandus erit, ui facienda uia.
Infœlix etiam Borealis Iutia, ſæui
Clementis fueras obuia prima malis.
Sæuijt hic rabido uulgi furumq; maniplo,
Non auidas poterat continuiſſe manus:
Donec eum princeps in pœnas iure uocauit,
Et ſceleri tanto præmia digna dedit.
Hunc ſiquidem captum, nec uitæ munere dignum,
Cum ſocijs Stygios iuſſit adire lacus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082

Et caput inuiſum palo præfixit acuto,
  Quattuor impoſuit cætera membra rotis.
Iſta Lubecenſi merces & reddita Marco,
  Scaniacos fines qui populatus erat.
Sic quoq; Chriſtophoro Rex dignas ſoluere grates
  Cœpit, & huic capiti præmia iuſta dedit.
Ille Comes quoties inſtat noua bella citurus,
  Inſigni toties clade fugatus abit.
Tunc Comites, hic unus Hous, ſed quis fuit alter?
  Ambo tamen crudæ ſuccubuere neci.
Sic pereant qui bella uolunt, quiq; impare gaudent
  Munere, quosq; tenet tantus honoris amor.
I nunc, & matri referas, te in regna receptum:
  Perge tuis Regem ludere uelle iocis.
I ſupplex, nudusq; tuis opibus q; uirisq;,
  In patriam ſolus nec redyſſe uelis.
Sic retro ſublapſa ruunt, quæcunq; nocendi
  Tentantur ſtudio, compoſitisq; dolis.
Parte ſed aduerſa Rex fauſto numine lætus,
  Quà fortuna uiam dirigit, inſtat ouans.
Iam ſubit Haffniacos obſeſſos milite muros,
  Bis menſes (uictu deficiente) nouem.
Iamq; pius uictor ſpectat miſerabile uulgus,
  Dira neci dederat corpora multa fames.
Vincere ſed poterat, noratq; ignoſcere uictis:
  Marte quidem ualuit, ſed pietate magis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Ceſſerat ut primùm Martis belliq́; tumultus,
Et grauis armorum militiæq́; labor:
Optatamq́; diu ſponderent tempora pacem,
Aduena quum miles Marte fugatus erat.
Ac inuenta quies, magno quæſita labore,
Iam Princeps alio dignus honore fuit.
Nunc igitur duplicem gemmis auroq́; coronam,
Et ſceptrum, & Regis cætera ſigna capit.
Lætitia gaudet populus iam Rege recepto,
Inq́; uices fundit uota precesq́; Deo.
Et pacem poſcit, dulcemq́; in pace quietem:
Vt bella experti commoda pacis amant.
Hei ſed adhuc Muſæ triſtes ſine honore iacebant:
Limine iam Phœbus, iam fugiturus erat.
Sed Phœbum reuocat, ter tres releuatq́; Sorores:
Nunc his eſt illa primus in urbe locus.
Ergò theatra iubet, Muſisq́; dicata nouenis
Tecta, ſuo rurſus flore uigere noua.
Moxq́; aliud maius ſecum ſub pectore uoluit,
In ſolo nixus ſpeq́; fideq́; Deo.
Et Deus audentem iuuit, perq́; omnia duxit,
Sufficiens uires cunctipotente manu.
Hac ope Diuini ſplendeſcunt fulgura Verbi,
Quo nil nobilius totus hic orbis habet.
Hoc duce (laus Chriſto) uiguit pax int⁹ & extrà:
Pace manus potuit, mens quoq; pace frui.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Nunc agito, Regem quibus hũc heroibus æquem?
Magnus erat bellis, maximus ille toga.
Non hîc te Cæſar, non hîc te Maxime Pompei,
Non uos Scipiades nunc meminiſſe iuuat:
Non alios geſtis celebres, ductisq́; triumphis,
Et queîs nulla fuit cura timorq́; Dei.
Aſt alio Regi quærendus in ordine compar,
Scilicet ex illis qui coluere Deum.
Cedite gentiles, uos hinc procul eſte prophani,
Oſores ueri numinis atq; Dei.
Vos uolo, cultores Chriſti quicunq; fuiſtis,
Quosq́; fide certum eſt concelebraſſe Deum.
Hos inter quicunq; dedit ſua nomina Chriſto,
Et qui pacis erat, qui pietatis amans:
Huic Rex hic noſter ueſtigia proxima ponit,
Et uirtute pari proximus iſſe poteſt.
Si pietas ſpectanda foret, fideiq́; palæſtra:
Hunc quendam IACOB nõ ſine iure uoces.
Si Martem ſpectes facilem, pulchrosq́; triumphos:
Illius & uinci neſcia corda uiri.
Si quoq; ſyncerum diuinæ uocis amorem:
Hunc puto Dauidem dixeris eſſe nouum.
Pectora ſi ſpectes multarum conſcia rerum:
Non hunc immeritò tu Solomona putes.
Si mentem reputes humilem, manſuetaq́; corda:
Non abs re Ionatha dixeris eſſe parem.

At quia Rex fuerat Verbi reparator adempti,
Quod Monachi nugis implicuere ſuis:
Adde quod & fontem diuini Biblia uerbi,
Daniaca lingua fecit ubiq; legi:
Cunctaq; Rex uno congeſta uolumine ſcripta,
(Quæ uariè & lacerè uerſa fuere prius)
Hic excuſa ſimul poſt ſe monumenta reliquit,
Iamq; ea (laus Chriſto) uirq; puerq; legunt:
Hinc rectè ſimilem ſtatues hunc eſſe IOSIAE,
Amiſſum legis repperit ille librum.
Deniq; ſi mores, pietatem, munia uitæ,
Geſta, preces, aliud quicquid id eſſe poteſt:
Maturæ ſpacium uitæ, ſi deniq; totum
Videris, EZECHIAS totus & ille fuit.
Ambo pij Reges, cultores numinis ambo,
Ac ueri coluit nomen uterq; Dei.
Ambo deos falſos, ſtatuas, idola peroſi,
Pro falſis iterum uera docere iubent.
Tu prior Ezechia templum, templiq; miniſtros
In priſcum poteras reſtituiſſe decus.
Squalida reſtituis, rurſusq; altaria fumant,
Deſuetumq; diu Paſcha nouare iubes.
Tuq; ſalutiferum manibus collidere uermem
Auſus eras, ſerpens æneus ille fuit:
Auxilijq; Dei monumentum, arcaq; repoſtum,
Sed non ſeruatum quo coleretur erat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

Tu quoq; Rex noſter ueræ pietatis alumnus,
    Haud Verbi ſacri dißimulator eras.
Pòſt ubi Præſulibus ſeptem dempſiſſe tiaras,
    Et cathedris auſus depoſuiße ſuis,
Qui ſibi, quiq; tibi nimium male Papa fauebant,
    Namq; uiri primæ nobilitatis erant,
Saluifici regno prohibentes pabula uerbi,
    Paſcere cum Chriſti nec uoluere greges.
Cætera Muſa ſile, non tanta audacia dictis
    Detur: & an neſcis multa tacenda tibi?
Macte animo Princeps, cura hæc tibi ſubdita cordi,
    Vt uerum coleret Danica terra Deum.
Tota tuo ſtudio complexa eſt Cimbria Chriſtum,
    Abiectis fratrum pontificumq; dolis.
Iamq; Dei purum recipit Selandia Verbum,
    Et piſcoſa Deum SCANIA ritè colit.
Vaſta etiam fidei iuncta eſt Noruegia noſtra.
    Percipit & gnatum Gotthia priſca Dei.
Vltima uel Thule, multis Iſlandia dicta,
    Amplius haud manſit neſcia Chriſte tui:
Sint, fuerintq; alijs cura bella, horrida bella:
    Sed fuit huic ſtudium cultus honosq; Dei.
Hei mihi, quàm dulcis fuit hæc concordia, gentes
    Tot ſimili amplecti relligione Deum.
Prompta quidẽ cauſa eſt: Rex ipſe pijßimus autor,
    Credere cui iußit, credidit ipſe, Deo.

Inde

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Inde Magiſtratus, proceres, ciuesq́ coloni,
Regis ad exemplum dant ſua uota Deo.
Huc oculos uertunt, atq; hinc exempla petebant:
Vox pia mandantis, ſic pia uita fuit.
Hæc eſt principibus laus, & dignißima uirtus,
Moribus innocuis poſſe præire ſuos:
Ac uigiles inter curas uariosq́ labores,
Laudibus augendis incubuiſſe Dei.
Huc etiam robur ualidasq́ intendere uires,
Debitus ut Chriſto perſoluatur honos:
Et portas aperire Deo, refouere docentes:
Et quacunq; queant arte iuuare, iuuent.
Hæc tibi mens aderat Rex ô gratißime Chriſto,
Curaq́ perpetuò principe digna uiro.
Tuq́ etiam pacis fueras placidißimus autor,
Ceu tuus Ezechias pacis alumnus erat.
Nam nunquam ueſtro ſciſſa eſt pax aurea Marte,
Poſt habuit paci Martis uterq; dolos.
Sanguinis & neuter ſitiens, uel honoris iniqui,
Iniuſta uoluit bella patrare manu.
Aſt ubi res urſit, neuter ceſſere periclis,
Ambo uelut patriæ ſcuta fuere ſuæ.
Ambo piam norant uincendi gnauiter artem,
Et tam non armis quàm ualuere prece.
O` quoties ad te uerterunt lumina cordis,
Auxilij cum nil afforet, alme Deus?

O` quo-

O` quoties ambos tu pro pietate leuabas,
 O` quàm propitium ſenſit uterq; Deum?
Hæc Regis pietas, hæc mens tam dedita Chriſto,
 Quot nos participes fecerat eſſe bonis?
Ille ſuis peperit pacem, finemq́; laborum,
 Dogmatis hic Chriſti phoſphorus unus erat.
Vſq; adeò Regi fuit hæc ſacrata uoluptas,
 Sæpius ad Chriſtum ferre referre preces.
Seq́; illi totum commiſerat ipſe regendum,
 Hunc rebus uoluit conſuluiſſe ſuis.
Hinc alios potuit fœlici flectere dextra,
 Hinc bene cedebant cuncta iuuante Deo.
Quàm facilis reſponſa dedit, miſeroſq́; iuuabat,
 Contemptis uiduis uſq; paratus erat.
Supplicibus lenis, nec eo moderatior alter,
 Qui nunquam uoluit cladibus eſſe ferox.
Qui doluit, quoties ad uim pœnaſq́; uocatus,
 Hisue uel his cladem ferre coactus erat.
Plura metu pœnæ, uel honeſto fœdere uicit,
 Quàm pœnis ipſis, ſupplicio'ue graui.
Concordiſq́; tenax fidei non fœdera rupit,
 Nullius à facta pace cruoris amans.
Quid moror hæc referẽs, quæ ſunt notiſſima cũctis,
 Auribus & ueſtris tædia longa parant?
Cætera grandiloquis linquam memoranda poetis,
 Qui meliore ſciunt cuncta referre ſtylo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Hæc nos perſterpimus rudis anſer ut inter olores,
Stringentes calamo talia geſta leui.
Vos eadem cygni referatis ad aſtra canori,
En hic materies carminis apta foret.
O tua Stigelides canerent ſi funera Muſæ:
De te nobilior, ſat ſcio, fama foret.
Vt ſileant Muſæ, nunquam pia facta ſilebunt,
Sed tuus æterno flore uigebit honos.
Nos tamen, ut par eſt, luctu referemus amorem:
Teſtetur lachrymas triſte doloris opus.
Sæpe malum hoc nobis cœlo dixere Cometæ,
Et nuper gemini qui micuere diu.
Halcyones etiam querulæ, pelagiq; uolucres,
Triſtibus implerunt littora cuncta ſonis.
Sed teſtata mihi referam, mirabile dictu:
Nec dubitanda quidem, credite, fama fuit.
Venerat angelicus cœleſti nuncius aulæ,
Regis hic orantis conſtitit ante caput.
Iamq; ſoporato, modò ſit ſopor ille uocandus,
Præmonet optatæ mortis adeſſe diem:
Vt primùm incipient anni noua tempora, dixit,
Scito quòd incipiat tunc noua uita tibi.
Sic ait: is lætus gaudet, migrare paratus,
Geſtit & inprimis uiuere poſſe Deo.
Ergo iubet feretrum reparent, propterq; cubile
Ponant, curator funeris ipſe ſui.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Ecce nouæ tandem ſubeunt, triſteſq́; calendæ,
Sit precor illa tibi Iane nefaſta dies:
Quum famulis, medicisq́; ſuis, ſacrisq́; miniſtris,
Hæc cœpit medio uerba dolore loqui.
Nona dies agitur, ſpacium mihi longius anno,
Ex quo prædidici mortis adeſſe diem.
Hunc mihi iam ſolem ſcio diluxiſſe ſupremum:
Ah tandem uenias, & citò Chriſte ueni.
Iamq́; peroſa ſuæ confeſſus crimina uitæ,
Pro uenia, Chriſti ſollicitauit opem.
Et ueniam nactus diuini uoce miniſtri,
Sancto Chriſte tuo paſcitur inde cibo.
His epulis uires fidei (ceu ſæpe) fouebat,
Fœderis hoc gaudens pignore Chriſte tui.
Nunc, ait, ô cœlos utinam migrare liceret,
Et facie ad faciem poſſe uidere Duem:
Et triplici ſimplex in numine noſcere numen,
Et fieri angelicæ pars quotacunq; ſcholæ.
Hæc memorans, ſurſum palmas oculoſq́; tetendit,
Suſpirans, patriæ tractus amore nouæ.
At regina graui iamdum turbata dolore,
Quo plus indoluit, plus doluiſſe cupit.
Et ſacris rediens, precibuſq́; ex more peractis,
Mox notum properans illa cubile ſubit.
Ac alios inter lachrymans & mœſta reſedit,
Sic prior at mœſtæ cœperat ipſe loqui:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Túne aderas dilecta mihi Theodora marito?
En propè quàm mortis ſint mea fata uides:
Iamq; lubens abeo, cupiens me carne reſolui,
Et dudum tecum uiuere Chriſte uelim.
Cede Deo: non ulla mei te cura faceſſat:
Hei mihi, quàm fœlix nunc abiturus ero.
Nil agis: in longum plorando ducis amorem,
Oro aliquid lacrymis abſtinuiſſe uelis.
Oro etiam donec fuerit tibi uita ſuperſtes,
Vt ſocij cures pugnora noſtra tori.
Fide Deo (inſani contemne negocia mundi)
Is tibi, me melius conſuluiſſe poteſt.
Et longum nunc uxor, ait, dulciſſima uale:
Amplexuq; dato deſijt iſta loqui.
Illa ſed exanimis cecidit releuanda miniſtris,
Hæſit & incœpto lingua retenta ſono.
Hoc unum dixit: Mi uir, mea cura, meum cor,
Quiq; meus fueras, deſinis eſſe meus.
Plura locuturam, gemitus lachrymæq; fatigant:
Pondus at hæ lacrymæ uocis habere queunt.
Atqui hinc ſollicitam triſtis confecit amaror,
Mutuus hinc iterum uexat & angit amor.
Diſcedit, uelatq; caput, miſerata dolores
Coniugis, & uellet ſe quoq; poſſe mori.
Omnia quis paribus poſſet comprendere uerbis?
Hæc etiam triſtis mens meminiſſe fugit.

3082.

Nec tamen illa diu potuit liquiſſe maritum,
Ante fores thalami ſæpe diuq́ ſtetit.
Ter conata tori limen tetigiße iugalis,
Ter mœſto lachrymans ſubſtitit illa pede.
Iamq́ parat dulces ſecum deducere natos,
Extremum ut uideant funera mœſta patris:
Vnus Iohannes aderat, minimamq́ trahebat
Dorotheam, charum nomen utrumq́ patri,
Pone latus matris ueniunt, planctumq́ ciebant,
Vix fuit his luctus cognita cauſa ſui.
At quoniam triſtes cernunt, triſtantur & ipſi:
Neſcio ſed quid non indita ſtorga poteſt.
Effuſi lachrymas, hærebant limine primo,
Donec & ulterius ire coegit amor.
Semianimem cernunt patrem, uix cernere poſſunt
Præ luctu, & pariter pesq́ manusq́ tremunt.
Vt prius inſtructi fuerant, ſic ante parentem
Incipiunt humili procubuiße genu.
Supplicibus ſimiles lugubri uoce rogabant
Offenſæ ueniam, quantulacunq́ fuit.
His pater aduertens oculos: Chariſſima, dixit,
Pignora, num fatum fletis & ipſa meum?
An mihi gratari uultis, quòd terrea linquam
Regna, petiturus tecta beata Dei?
Dixerat: huic dextrã imponẽs, huic deinde ſiniſtrã,
His ſuper, hac orat uoce precante Deum:

g Mi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Mi Deus, hanc ſerua prolem, ſeruaq; nepotes;
Et fac hæredes participesq; tui.
His te perpetuò Regemq; patremq; relinquo:
Vt tibi ſic uiuant, ſic tibi poſſe mori.
Et uobis (tunc fortè manu palpauit utrumq;)
Cura ſit in primis noſſe & amare Deum.
Quicquid opꝰ fuerit, modò creditis, omne redūdet:
Extremum hoc uobis mando, precorq; ſimul.
Sed neq; me fas eſt abſentia pignora, dixit,
Negligere, ac horum non meminiſſe patrem:
Præſertim Friderice tui, qui ſceptra capeſſis
Noſtra, tibi durum reſtat honoris onus.
Hunc uos ô proceres (aderat tum Friſius heros,
Et Barbes) cunctis quæſo iuuate modis.
Conſilijs arcete malum, prohibete tumultus,
Nec quiſquam plebis quærere damna uelit.
Quin potius iungat dulcis concordia mentes,
Quiſq; colat ſimili gratus honore Deum.
Tu quoq; Miſniacis qui nunc uerſaris in oris
MAGNE uale, magnum ſis decus oro meū.
ANNA etiam ualeas Auguſto iuncta marito,
Quæ facis ut geſtem iam quoq; nomen aui.
Voſq; mei fratres, ſoror atq; Elizabet, una
Non matre, aſt uno uos genitore ſati:
Vos genus & ſanguis, ſacrataq; fœdera iungunt:
Viuite concordes, uoſq; ualete diu.

Dorea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

Dorothea & ualeas iterum, natiq; ualete,
Eia agite in cœlis uos reparire uolo.
Hoc precor: hoc munus nunc ô morientis habete:
Cœleſti in patria plura loquemur, ait.
Hæc fatus: ſubitò fragiles dolor occupat artus,
Et nouus inuadit languida membra tremor.
Eloquar an ſileam, quantos Regina dolores
Hauſerit, inſpectans coniugis ora ſui?
Et doluit uidiſſe ægrum, nec poſſe mederi:
Et tamen inuito lumine cuncta uidet.
Inſit, & illachrymat: mi Rex, idemq; marite,
Nolo, uolo, tantis cogor adeſſe malis.
Vſq; licet lachrymas lachrymis cumulamus obortis,
Noſtra tamen fruſtrà gutta precesq; cadunt.
Quis dabit, ut tantos in me transferre dolores
Nunc poſſem, ac aliquo te releuare malo?
Dummodò te ſanum poſſem ualidumq; tueri,
Dimidium morbi ferre parata forem.
Sed ſua cuiq; manet crux, & ſua triſtia cuiq;:
At demum uincit ſub cruce uera fides.
Ingemuit uerbis Rex iſtis, illa dolore
Obticuit, ſed mox plura referre parat.
Et ſecum luctata diu, lachrymisq; repreßis,
Vt primùm potuit, ſic gemebunda refert:
Dum licet, ô coniunx, ô me mihi charior ipſa,
Accipe ſupremum quæ modò mœſta uelim.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Sum tua, meq; tibi ſemper parêre decebat,
Noſq; unà iunctos uiuere carne duos.
At ſi oblita mei, curas tibi fortè faceſſi,
Semper idem nobis ſi neq; uelle fuit:
(Et fateor næuos, homo ſum, nec criminis expers,
Et nihil humani me procul eſſe puto :)
Per Chriſtum ignoſcos oro, noſtroſq; hymenæos,
Munus id extremum, credo, marite dabis.
Deſinit in lachrymas, moribūdū amplexa maritū,
Cunctantiq; parum porrigit ipſa manus.
Ille toro reſidens (potuit uix) ora ſerenat,
Dorotheæ hæc dicens uerba ſuprema ſuæ:
Me tibi, teq; mihi Deus arcto iunxit amore,
Quale tibi coniunx excidit ore nefas?
Viximus, & dulces concorditer egimus annos,
Non ea uita tibi cauſa doloris erit.
Quin tibi nunc grates ſoluo, ſoluoq; hymenæos:
Sat ſcio, nos hodie ſeparet ipſe Deus.
Vxor in æternum ualeas, pueriq; ualete,
Pòſt utinam cœlis uos reperire queam.
Illa ſed in collum mox circumfuſa mariti,
Illius & lachrymis proluit ora ſuis.
Confundunt lachrymas, auidiſq; amplexibꝰ hærēt,
Et figunt madidis oſcula multa genis.
Expleri nequeunt: ſed mors tunc acrius inſtat:
Hæc facit, ille ſuam linquat, & illa ſuum.

Diſcedens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

Diſcedens Regina domum ploratibus implet:
Vox aberat, mœſtam nil niſi flere iuuat.
Abſenti ſubeunt abſentis imago, laborq́;:
Atq; recordantem plurima, plura tenent.
Sic æger iacuit, mihi ſic eſt ipſe locutus:
Tum mihi, tum ſoboli dixerat ipſe Vale.
Et ſic ingemuit, ſic Chriſto fidit & orat,
Tam patitur mortis tormina longa ſuæ.
Venit ſumma dies, & certa nuncia mortis,
Finiet hæc curas triſticiamq́; uiro.
Venit prima dies, æternæ ianua uitæ:
Illa uiro cœlos læticiamq́; dabit.
Tu fatalis eras noſtro Coldinga marito?
Te uir præmitto, te citò ſponte ſequar.
Ille ſed immotus perſtat, mens dedita cœlis
Iam Paradiſiacas uellet inire domos.
Sed prius innixus cubito, paulumq́; leuatus,
Nobilibus memorat talia uerba ſuis:
Reddimus & uobis grates, famuliſq́; relictis,
Quæq́; diu nobis turba miniſtra fuit.
Me Deus his mandat iamiam diſcedere terris:
Sed niſi per mortem, non mihi uita patet.
Vos, oro, lachrymis precibuſq́; iuuate precantem,
Quando breui mecum mors coitura uenit.
Hæc ait, & ſeruis dextram porrexit amicam,
Cuilibet extremum dixit is ipſe Vale.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Frigus erat, mediamq́ diem iam tempus habebat,
Diſtabat ſpacio Phœbus utrinq; pari.
Hîc rex: Quanto, inquit, properat ſe cōdere Titā,
Tam propius ueniunt & mea fata mihi.
Nunc prece, nūc animis opus eſt: hæc nāq; eadē lux
Vitæ prima dies, ultima mortis erit.
Hoc opus extremū, labor hic cōmunis & æquus:
Dos uitæ æternæ morte petenda uenit.
Vixi, ceu potui. tibi uiuere Chriſte uolebam:
Quod tamen erratum eſt, ne meminiſſe uelis.
Vidi quam uolui ſobolem, uidiq́; nepotes,
Hos credo manibus Chriſte benigne tuis.
Vincere nunc reſtat mundum, mortisq́; dolores:
Et uincam, ſi me iuueris alme Deus.
Hic amor, hæc patria eſt, requies hîc certa malorū:
Nunc mors ô uenias, Chriſte uenito prior.
Vos igitur famuli, mediciq́;, ſacriq́; miniſtri,
Quos morti uideo condoluiſſe meæ:
Lethiferos mecum cantando leuate dolores:
Nunc placet exequias poſſe uidere meas.
Dixit: & ut cantant ipſi ſua funera cygni,
Ac longo uariant gutture dulce melos:
Haud ſecus ipſe ſui cantator funeris heros,
Tempore tam triſti iubila læta dedit.
Incipit, & modulans ſe cum Simeone popoſcit
Dimitti, & uita iam meliore frui.

Nec

Nec ſatis hoc fuerat, nec ab una obmutuit odā,
Ipſe memor cecinit cantica multa Deo.
Iamq́; iterans repetit grandæui carmina uatis,
Hoc carmen Regi nectaris inſtar erat:
Nunc dimitte tuum Deus optime maxime ſeruum,
Emerito grata eſt nam mihi ſancta quies:
Noſtra ſalutiferum uiderunt lumina Chriſtum,
Quem uidet ille oculis, hunc ego cerno fide.
Hanc tibi Chriſte fidem uiuens moriensq́; dicaui,
Credo quòd haud famulum deſeruiſſe uoles.
Conticuere omnes, iamq́; ipſe dolore tacebat,
Sed tamen aſsiduò Chriſtus in ore fuit.
Et repetens dictum dulci de nomine IESV,
In te defixus regie myſta fuit.
Et tibi dicenti uultus aduertit & aures,
Hei mihi quot gemitus, quot dedit ille preces.
Incaluitq́; Deo, dignas quoq; pectore uoces
Edidit, hac orans ſupplice mente Deum:
Ad te Chriſte oculos uicina morte grauatos
Vix leuo: tu placidam quam potes affer opem.
Tempus adeſt, ac hora meæ contermina morti:
Ad te, quando uoles, hinc abiturus ero.
Quin abeam, mihi facta uia eſt, mihi uita parata:
Chriſte mihi uita es, tu uia, tuq́; ſalus.
Tu dabis horrores & ſpicula temnere mortis.
Tu mihi luctanti portus & aura fies.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Languida cũ ſubito mea membra rigore ſtupeſcũt,
Nullus & in toto corpore ſenſus erit.
Quum riget, & fixa eſt arido mea lingua palato,
Et nec opem ualeat poſcere Chriſte tuam:
Lumina quando mihi caligine merſa laborant,
Condere nec uoces auris, ut antè, poteſt:
Occupat & mentem cunctarum obliuio rerum,
Quum mea lethæo corda dolore tremunt:
Tum me reſpicias, tum robora mentibus adde:
Nec uideas ſolum, ſed pie Chriſte ueni.
Meq́; uenire iube, migranti porrige dextram:
Non niſi per ſolum te uia, uita patet.
IESV noſter amor, mediator, uictor auerni,
Qui tibi credentes uiuere morte facis:
Credo equidem, ſed tu fidei ſuccurre puſillæ,
Hanc animam gremio ſuſcipe Chriſte tuo.
Hæc ait, & iam nil niſi concipit æthera mente,
Expectans uitæ proxima fata ſuæ.
Atq; decuſſatim manibus pro pectore iunctis,
Plus quàm ſemianimis murmura pauca dedit.
Aſtitit, officio fungens ſolando, ſacerdos,
Præſtitit eloquij commoda magna ſui.
Paule tuum uigeat Regis cum nomine nomen,
Ad te conuerſus iam moriturus erat.
Cumq́; acclamares: nutu (nam lingua rigebat)
Et manibus fidei ſigna ſubinde dedit.

Te,

Te, donec potuit, ſpectat, tibi uultibus hæret:
Deficit, & rurſus lumina mœſta leuat:
Errantes uoluens oculos, nimiumq́ grauatos,
Lumina iam placidè ſemirecluſa tenet.
Singultat leuiter, ſubitoq́ hos ſpiritus artus
Linquit, & in patriam carcere liber abit.
Vt cum blanda quies corpus complectitur ægrum,
Tam ſimilis ſomno mortis imago fuit.
Mortis imago fuit, non mors: nam ianua uitæ
Chriſticolis etiam non niſi morte patet.
Exitus acta probat: Chriſtum, cui totus adhæſit,
Nunc uidet, & coràm gaudet adeſſe Deo.
Tum uerò exoritur plāctus, gemitusq́ miniſtrûm,
Atria iam lachrymis infremuere nouis.
Iam uulgus proceresq́ replent ululatibus aulam,
Et plenus lachrymis angulus omnis erat.
Heu heu quàm Iani multum potuere Calendæ,
Illa precor lateat condita nube dies.
Hæc fatalis erat tibi lux doctiſſime Liui,
Attulit hæc mortem Naſo poeta tibi.
Illa tibi requiem, mortem non dicere fas eſt,
Et pacem peperit Rex, patriæq́ pater.
Protinus hæc latè ſparſas it fama per urbes,
Inuoluens luctu Cimbrica regna nouo.
Nunc ueniſſe diu quam formidauimus horam,
Fleret ut amiſſum Dania mœſta patrem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Quocunq; aſpiceres urbes uel rura uel arces,
 Planctus erat, Regem fœmina uirq́; gemunt.
Fama etiam tanti uolucris prænuncia luctus,
 Dum loca funebri cuncta dolore replet:
Magnificam uenit captiui Regis ad aulam,
 Alter is à Chriſti nomine dictus erat.
Vt primum accepit cognati funus amici,
 (Alter hic alterius nam patruelis erat)
Multa ſenex gemuit, lachrymisq́; hæc fatur obortis:
 Amplius heu terris anne ſuperſtes ero?
Tu cœlos repetis, me'ne hîc ſupereſſe placeret?
 Ipſe tui uellem funeris iſſe comes.
Et ſi fata uolent, tecum citò uiuere ſpes eſt,
 Corpore iam noſtro nam uigor omnis abeſt.
Sic querulus multas noctesq́; diesq́; peregit,
 Pectora tabifici plena doloris erant.
Sæpius hæc lachrymans iterabat uota, precesq́;:
 Sæpius optabat mortis adeſſe diem.
Nec mora longa fuit, ſenſim tabeſcere cœpit,
 Vt ros paulatim ſole tepentę fugit.
Extremumq́; diem clauſit, terrasq́; reliquit,
 Vrbs tua nunc Regis funera ſeruat Otho.
Fama fuit, medicus dum condit aromate corpus,
 Singula dum luſtrat, dum ſecat atq; lauat:
Repperit accretos ipſo ſub corde lapillos,
 Hos medicas referunt execuiſſe manus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

Hoccine ſolliciti tandem potuere labores?
Vſque adeo'ne premit Regia corda dolor?
Ergo diu gemini nobis arſere cometæ:
Vnus hic ut maior, ſic fuit ille minor.
Ergo duos uno lugebat tempore reges
Dania, iamq́; ambos urbs habet una duces.
Ambo quidē Chriſti de nomine nomen habebant,
Sed non par ſacri nominis omen erat.
Ille fuit nulli pace & pietate ſecundus:
Huic fortuna minor, nec ſatis æqua fuit.
Nunc uenias udos Elegêia ſoluta capillos,
Inferias regi iamq́; datura ueni.
Forſitan & lachrymæ deerunt, & uerba doloris?
Non pudeat ruptis exululare comis.
Nil niſi flere iuuat, iuuat exaturare dolorem:
Egeritur fletu triſte doloris onus.
Hei mihi, funereos cogor renouare dolores,
Hi ueris elegi fletibus ora rigant.
Vnicus is Phœnix, & uix reparabilis unquam,
Occidit, ô patriæ cura ſalusq́; ſuæ.
Coldingum ante alias mihi uiſa eſt triſtior urbes,
Illius hæc mortis conſcia prima fuit.
Hæc ægrum uidit fatisq́; neciq́; propinquum:
Dumq́; petiturus limina mortis erat,
Audiuit gemitus, Regisq́; nouiſſima uerba,
Verba ſed obryzo nobiliora nouo.

Viderat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Viderat hæc funus, rigidos & corporis artus,
Quàm modicus ſiccis artibus humor erat?
Exhauſere tuas rex ô digniſsime uires,
Summus amor patriæ, ſollicitusq; labor.
Hæc rugas fecere tibi, canosq; ſeniles,
Hinc curæ & pallor, triſticiæq; graues.
Pectora ceu fodit ſua roſtro Aegyptius ales,
Sanguine cum pullos uiuificare uolet:
Sic tua flagrantes mordebant pectora curæ,
Namq; tibi cordi ſubdita turba fuit.
Imò nec effugeres proprium miſiſſe cruorem,
Proq; aris uitam fundere, proq; focis.
Quis potuit ſiccis exangues funeris artus
Cernere luminibus, nec doluiſſe ſimul?
Dumq; tuum triſtes ungebant corpus aliptæ,
Innumeris cecidit frigida gutta genis.
Et meritò: ſed quis lachrymas, quis funera fando
Exprimat, exequias quum retulere tibi?
Illa nefaſta dies, atrisq; notanda lapillis,
Sæpius ac iterum flenda ſit illa dies.
Conueniunt lecti proceres, arcemq; petebant,
At lachrymis horum non caruere genæ.
Extollunt humeris feretrum, plauſtroq; reponunt,
Heu nimis hoc plauſtrum nobile uecta tonus.
Iam lugubre dedit plateis caua buccina ſignum,
Ordine funebres iam micuere faces.

Præ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Præminet ante alios equitum longiſsimus ordo,
    Tardius at ſolito triſtis inibat equus.
Hos ſequitur pullata cohors, miſerabile carmen
    Quæ lugens cecinit: ſic ceciniſſe decet.
Hinc ueniunt (heu heu) triſtiſsima funera Regis,
    Quadriiuges perhibent ingemuiſse feras.
Bis duodena ſimul ſubit alti turba Senatus,
    Funeris hinc illinc clauſerat illa latus.
Mox Fridericus adeſt nigra comitante caterua,
    Signa animi lachrymas edidit ipſe ſui.
Holſatiæ & ueniunt gemini fratreſq́; Duceſq́;,
    Vnus Iohannes, alter Adolphus erat.
Hos cum filiola ſequitur triſtiſsima mater:
    Fletibus hæ querulis ora genaſq́; rigant.
Hinc alÿ ueniunt proceres, uectiq́; caballis
    Multa etiam luctus ſigna dedere ſui.
Exierant portis, medium iamq́; æquor habebant,
    Tardius incedit pulla dolenſq́; cohors.
Horriſonis fremuit totus clangoribus æther,
    Luctificoſq́; dabant turribus æra ſonos.
Omnibus unus erat planctus, dolor omnibus idem,
    Contigerant urbem nunc Otho clare tuam.
Mœnibus important, pompæ longo ordine, funus,
    Atq́; locant templo diue Canute tuo.
O precioſa nimis precioſo corpore tellus,
    Túne patrem patriæ ſola tenere potes?

Nunc

Nunc etiã lachrymis iuuat hoc ſuperaddere carmẽ,
Et titulum meritis hunc ſupereſſe parem:
Cuius in hoc tumulo fœliciter oſſa quieſcunt,
TERTIVS à Chriſti nomine dictus erat.
Dux primò Holſatia, mox Danica ſceptra capeſſit,
Marte, toga, regnis, prole beatus erat.
Poſthabuit ſoli, cui credidit, omnia Chriſto:
Huic fidens, placida morte ſolutus obit.
Nunc Elegeîa ſile, fruſtra te namq; fatigas,
Suſpires, lachrymes, fles licet, atq; gemas:
Non tamen eſt gemitu Rex hic reuocabilis ullo:
Eſt etiam, ſanctos ſpe ſine flere, nefas.
Ipſe ſuum cecinit uicta de morte triumphum,
Fortis & inuictus iam moriturus erat.
Supprime iam lachrymas, nõ Rex ſibi talia poſcit
Iuſta dari, longè ſed meliora cupit.
Quin gratare magis, reſidet quòd uictor olympo:
Quòdq; ſuam patriam, quam cupiebat, habet:
Namq; mori moriens nequijt ter maximus heros:
Dicite Io tandem, mors fera uicta iacet.
Ò mors uicta iaces, tua fregit ſpicula Chriſtus,
Nil in Chriſtigenas iuris habere potes.
Iamq; ô Rex uictor ſupera nos deſpicis arce:
Oſſa cubant terris, mens tamen aſtra tenet.
In cœlos animus redijt tuus, inde profectus:
In terram redijt, terra quod antè fuit.

Dulcis

3082.

Dulcis adeſt animæ requies, & pura uoluptas,
Et ſedet in gremijs optime Chriſte tuis.
O' ter fœlices, quibus hoc requieſcere portu
Contigit, ac illo ſe refouere ſinu.
Iam cum cœlicolis communia gaudia carpis,
Gaudia non ullis æquiparanda bonis.
Iamq; pios cernis reges, & cerneris illis,
Conſpectu frueris uiuificante Dei.
Angelicisq; choris mixtus, dulciſsima mulces
Ante Deum gnatũ carmina, & ante patrem.
Inclyte Rex ſalue, rurſusq; iterumq; beatus:
Sic utinam cuncti conueniamus, Aue,
Donec erit cultrix ueri tua Dania Chriſti,
Vera tibi in laudem fama ſuperſtes erit.
Quod reſtat (lachrymis ſatis eſt, mœſtoq; dolori,
Satq; triumphanti credimus eſſe datum)
Frigida mens noſtra eſt, præſentia cernere neſcit,
Nec niſi ſublatum noſcit amatq; bonum.
En decus hoc æui deceſsit, & optimus heros
(Regibus Europæ lumen is unus erat)
Occidit. occiderit nobis, ſic fata uolebant:
In patriam pergens non obijt, ſed abît.
Nos nos peccatis tantorum fata malorum
Attrahimus, noſtri cauſa ſumusq; mali.
De pœnis fruſtra querimur, modò facta ſuperſint
Praua, quibus rurſum uellitur ira Dei.

Nos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Nec peccata ſinunt miteſcere numinis iram,
Depoſcunt pœnas crimina noſtra nouas.
Aſtra igitur terris iam triſtria quæq; minantur,
Et uates tempus præcinuere malum.
En fatalis adeſt, qui nobis uertitur, annus,
Supplicium noſtros imminet ante pedes.
At tu ſumme Deus gnati placate cruore,
Qui uoluit noſtra uiuere carne caro:
Tuq; Dei ſoboles, generi iunctiſsime noſtro,
Naturæ ſocians corpora noſtra tuæ:
Ad te confugimus dubijs fidiſsime rebus,
Nulla uenit nobis te renuente ſalus.
Dum locus eſt, ueniã, meriti grauiora precamur:
Elue tu ſordes, & miſerere malis.
Interpone patri te nobis uerè ſequeſter,
Peccati ulterius ne memor eſſe uelit.
In TE reſpiciat, tu dulcis imago parentis,
Tu ſancta effigies, nos rea turba ſumus.
Inſertos tibi nos foueat, ſeruetq;, regatq;,
Deq; tuo ſimus pars quotacunq; grege.
Det pacem, uictumq;, & cætera commoda uitæ,
Grex tuus ut poſsit pace puſillus ali.
Donec & hac triſti lachrymarum ualle ſuperſit,
Concedes caulas hoſpitiumq; gregi:
Vt duce te tandem ſuperet mundumq; crucemq;,
Inq; tuum ueniat ſponſa locanda ſinum:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Abſterſis lachrymis, habitumq́ exuta priorem,
Rideat, & ſponſo det tibi ſponſa manus.
In te tota migret, migres tu totus in illam,
Iũgantur capiti tot pia membra ſuo.
Hoc utinam Chriſti ſimus de corpore membrum,
Vt ſumus: hinc pendent omnia læta pijs.
À te Chriſte preces cœpi: tũ dicito, Fiat:
In te nam, quicquid poſcimus, AMEN erit.

FINIS.

h PIISS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

EPITAPHIVM PIISS. REGI DANORVM, &c. CHRISTIANO Tertio ſcriptum,

Per IOHANNEM THOMAM Ripenſem.

Rege ſatus, Rex ipſe fui, Regemq́; reliqui,
Nomine auũ referens qui Fridericus erat.
Sed me ſaluifici ſancto de nomine Chriſti,
Nomen honorificum iuſsit habere pater:
Hinc me Chriſtiadem fortes Cimbriq́; Gothiq́;,
Iudicioq́; ualens Dania tota uocat.
Et quamuis Reges numerentur auusq́; paterq́;,
Non tamen hoc tumui ſtirpis honore meæ.
Pectus erat ueræ flagrans pietatis amore,
Vnica te Chriſtum diſcere cura fuit.
Et cum ſceptra mihi Deus alme tenere dediſti,
In populum ſparſi dogmata ſancta meum.
Moribus & fueram clarus belloq́; togaq́;,
Quos in principibus conuenit eſſe pijs.
Vna dedit bellum, tribuit manus altera pacem,
Ne uaſtem cœtus optime Chriſte tuos.
Pauperibus, uiduis, ſocijs, uerbiq́; miniſtris,
Munificus, tutor, fidus amicus eram.

3082.

Non mihi mente dolus, non ulla ſuperbia cordi,
  Omnis erat cædes res odioſa mihi.
Sæpe meis uotis auerti numinis iram,
  Impendens Danis ut releuaret onus.
Quattuor, & totidem uiuendo luſtra peregi:
  His tria ſi iungas, ultimus annus adeſt.
Et quoniam rerum res eſt ita uiſa parenti,
  Adueniens uitam Ianus abire facit.
Hinc mea regna, ſcholæ, tua Chriſte Eccleſia luget,
  Eſt grauis & natis me moriente dolor.
Dorothea & coniunx, quina me prole parentem
  Quæ fecit, luctu frangitur ipſa graui.
Me lugent alij, firmo mihi fœdere iuncti,
  Qui lachrymas animi ſigna dedere ſui.
Tam premit imbelles chari diſiunctio patris,
  In me nulla tamen cauſa doloris erat.
Quid gemis ô coniunx? ſubitò iungemur ouantes,
  Cum facie ad faciem cernet uterq; Deum.
Morte ſolutus eo, cineres ſed Othonia ſeruat,
  Viuaq; per Chriſtum mens manet ante Deum.
Nam cœlum petij, lætus te Chriſte prehendi,
  Cordiflua tenui quem prius ipſe fide.
Quod prece, quod lachrymis, & tota mẽte cupiui,
  Nunc fruor aſpectu læticiaq; Dei.
Iuſticiæ decus hoc fidei eſt, & ſumma corona:
  Sic mihi mors lucrum, tu pie Chriſte ſalus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

ALIVD.

Vt mihi nomen erat Chriſti de nomine dictum,
Illius à teneris ſic uenerator eram.
Danica ſceptra tuli, quæ me prior ipſe tenebat
Qui pater hos rexit Rex Fridericus agros.
Danica ſceptra dedi: data ſint hæc auſpice Chriſto,
Vt regat has alter nunc Fridericus opes.
Aſt ego qui fuerim meritis, pietate, uel armis:
De me, non dubito, fama ſuperſtes erit.
Poſt uarias regni curas, molemq́; laborum:
Ad Chriſtum leni morte ſolutus eo.
Mens reſidet cœlis, ſed ſeruat Othonia corpus:
Tunc plenè fœlix, quando reſurget, ero.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

ERRATVM.

Pag. 89. *uerſu ult. ſic legendum :* Non abs re *Ionathæ dixeris eſſe parem.*

BASILEAE, EX OFFICI-
na Iacobi Parci, Anno Salutis
humanæ M. D. L X. Men-
ſe Decembri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Vale præstantissime vir et mihi
ex animo venerande, Christus
fidelis suorum custos, tibi semper
adsit, te regat et tueatur. Amen
Et si qui præterea istinc sint
amici, meo nomine saluta.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

3082.

vir Rem
Christin
tibi
uratim
istine
salute

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)

Joh: XC cap:

Jesus sagde till hende, din Broder skall opstaa. Martha sagde till hannem, Jeg wed well, at hand skal opstaa i opstandelsen paa den yderste dag etc.

Kr[illegible]

Laurit[illegible]

Den som mig föder, det er Gud, min Herrem

Martis et Artis ahen cultores pungite planctus

Cultor enim magnus Martis et Artis obit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3082 8° (LN 1582 8° copy 2)